

42

DUCE ET AUSPICE
SUMMO NATURÆ GUBERNATORE,
AUCTORITATE ET CONSENSU
MAGNIFICI ET GRATIOSI ORDINIS ASCLEPIADEI
IN ACADEMIA GRYPHICA,

PARTEM INTESTINI JEJUNI,
PER GUTTUR INFERIUS EXCRETAM,
SALVA MANENTE ÆGRI VITA,

PRÆSIDE
VIRO MAGNIFICO ATQUE EXPERIENTISSIMO,
DOMINO

JOHANNE LEMBKENIO,

MED. DOCT. ET PROF. ORD., ACAD. ET FACULT. SENIORE,
CIVITATIS PHYSICO, ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO,
FAUTORE ET PRÆCEPTORE, MAXIMOPERE DEVENERANDO,

PRO


Summis in Arte Medica Honoribus,
& Privilegiis Doctoralibus,
RITE OBTINENDIS,
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
EXHIBET

ANDREAS WESTPHAL,

GRYPHISWALD.

ANNO MDCCXL. DIE XIX. DECEMBR.

GRYPHISWALDIAE EX OFFICINA STRUKIANA.



SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
SVECORUM REGIS,
IN POMERANIA SVECICA
P R O - P R I N C I P I,
COMITI ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO,
CANCELLARIO ACADEMÆ GRYPHICÆ
MAGNIFICENTISSIMO,
DOMINO SUO INDULGENTISSIMO:
STRENUO MAXIME,
AC SUMMO PEDESTRIUM COPIARUM,
P R Ä S I D I I Q U E
URBIS STRALESUNDENSIS, PRÄFECTO:
ILLUSTRIS REGIMINIS REGII POMERANICI,
D N. C A N C E L L A R I O,
RELIQUIS
D N N. C O N S I L I A R I I S,
GENERIS, FIDEI, MERITORUM, GLORIA
AC SPLENDORE, EMINENTISSIMIS,
D O M I N I S, P A T R O N I S, F O R T U N A E Q U E
Amplificatoribus Gratiissimis,
HOC ANIMI OBSERVANTISSIMI
MONUMENTM,
SUMMA PIETATE RELIGIONE ET REVERENTIA,
SACRUM ESSE CUPIT
ANDREAS WESTPHEL.

INDREJS MESTER

SUMMA PICTATA RELIGIONE ET REFORMATIO
SACRAV ESS CULT

MONTAGUTI

HOC ANNI DIES OCTAVANTISIMA

DOMINIS PASTORIS FORTUNIQUE

GENESIS DIC MERITORUM GLORIA

VE SIT NOME EMMANUELIS

DN CONSILIARII

LIBR

URBS STRAESENDENS PRACTICO

ALMAGRUE A VENDE VON TOWNSLEY

BREVIARIO

VE SUMMO PREDICATORI CONFIRM

DOMINO TIB INDUCITASMI

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

27 EGORU REGIS

INTOMERNA SACCOA

P R O . P R I N C I P I

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE

WILHELMUS

CONFIRMATIONE



Ea, quæ Dissertationi viam aperiunt.

Est hodie artis salutaris doctrinæ hæcce facies inducta, eadem ut a Viris, in quibus acutum & acre, inque reperiendis & investigandis latentium morborum causis sagacissimum viguit atque eluxit ingenium, ad summum pæne perfectionis fastigium, ita quidem fuerit evecta, ut non instaurata, sed nata esse videatur. Postquam spinæ sunt avulſæ, duſſenta cæſa, occata est tellus, ſparsa ſemina lætius propullularunt, & ſegeſ collecta eſt uberrima. Creverunt cuncta majorem in amplitudinem per doctrinas illas, quæ in rerum naturalium causis evolvendis, earum quantitatibus definiendis, ac ſingulis corporis humani partibus, & abditis venarum ductibus explorandis, indagandisque, versantur. Hac ratione plurima, quæ incognita reputabantur naturæ mysteria, in lucem edita ſunt ac protracta. Res hæc magno cœpta impetu, vel eo benigniorem habuit fortunam ex instrumentis, novo comparatis ingenio, ad tenuiſſimas corpusculorum, vel minutissimorum, particulas penitus exquirendas, curatiusque eruendas. Enimvero cuncta rationibus ad liquidum perducenda, atque e monumentis rerum, orbe in literato quæ ſunt gestæ, illustranda, instituti mei ratio prohibet. Licet vero ipſa tum ars medendi, tum & ſtudia, faciliorem ad illam aditum recludentia, rationemque proficiendi sapienter conſtitu-

A entia

entia, ad lucem maximam emerferint: Nihilo tamen minus HIPPOCRATES, cui ipse suas artes, sua munera latus dederat APOLLO, nodos imperio dissecuit, sententia hac lata gravissima & maxima, *obvenire in Medicina, judicio quæ sunt difficultima.* Quivis, qui usu & arte medendi alter quoque fuit HIPPOCRATES, in hanc enunciatam discedet sententiam. Sane obvii sunt casus tam clinici, quam forenses, quorum cognitio distincta & explicatio solida, omnem dubitationem quæ expellat, suspicionemque falsitatis & erroris deleat ex animo, Medicos omnis ætatis, etiamsi singulari alias prædicti fuerint facultate, obscuriora elucidandi, difficultaque endandi, vehementius cruciarunt, longiusque fatigarunt. Sunt, qui in dubium atque ancipitem morbum conjecti, Medicos curis adeo anxiis implent, tantamque animis illorum injiciunt sollicitudinem, ut neque consilii locum habeant, neque auxilii copiam; vel vis ingenii omnis, ac mentis acies, in excutiendis rebus morbi perplexis obtundenda sit ac consumenda. Cum vero ex cognita ejusdam morbi causa, certæ petendæ atque hauriendæ sint regulæ, quarum ad ductum, morborum impetus effrenati reprimantur, cohibeantur, pariter ac compescantur; redditur inde manifestum, cur multi morbi remediorum usum eludant partim, partim & multi ægroti morbis explicitur ægerrime; plures denique morbi non ita possint sublevari, quin intus quædam illorum semina adhuc subsint ac lateant, primo quoque tempore eruptura. Quotne difficultatum nexibus custodes salutis humanæ acerrimi tenentur constricti,

si de

si de Symptomatum rationibus, aliisque, circa multorum morborum cognitionem distinctam occurrentibus rebus, animi sensum perspicue, ordine, quadam cum copia atque auctoritate, explicare conantur.

Tum experientia, tum casus, in Dissertatione propositus examini, stiloque signandus prolixiori, fidem dictis facient, præsidiumque iis circumponent firmissimum. Est sane casus hic ad memoriam insignis, dum Vir quidam partem intestini cojusdam per guttum inferius aliquot ante annos excrevit. Quodsi consulas, qui morbos contulerunt in historiam, non facile offenderis, si quidem discesseris a paucissimis, exemplum, quod cum hocce in comparatione valeas conjungere. Faciebat Vir Clarissimus, Dn. D. N. C. BÖRIES, qui Medicinam apud Rugianos exercet, hujus exempli, quod vix a majoribus accepimus, copiam Magnifico & gratiose Medicorum in Academia Gryphica ordini, in re hac dubia responsum relaturus.

Ille quidem, quæ ejus est sagacitas, recte adstruebat, verum id esse intestinum, suamque sententiam rationibus certissimis ac gravissimis, quæ ex ipsius artis medicæ præceptis erant depromptæ, corroborabat atque comprobabat. Alii autem in contrariam distrahebantur sententiam. Dn. quidem BRANDANUS HENRICUS GEBHARDI, divinorum oraculorum hodie apud Sundenses interpres, Historiam morbi literis mandabat, & judicium FRANC. ERNESTI BRÜCKMANNI, exploratoris illius rerum naturalium solertissimi, in consilium adsumebat, qui & aures præbens facillimas, in eam ingrediebatur

A 2 senten-

sententiam, illud non verum fuisse intestinum, sed tunica modo intestinorum, prægressa inflammatione, a ceteris separatam, cum alias formæ ciborum deglutorum determinantes, & excrementa necessario in cavum abdominis fuissent delapsura, & æger ille, motu intestinorum reliquorum peristaltico sublato, morte correptus repentina interiisset. Opinionem vero Brukmanni rationibus labefactavit Vir Magnificus, DN. D. CHRIST. STEPH. SCHEFFELIUS, Praeceptor colendissimus, in quadam epistola, *Novis Hamburgenibus anni 1736.* inserta. Sunt cum hac comparanda, quæ ibidem pagina 308. & 309. exhibentur. Suam quoque illustris FRIED. HOFFMANNUS, primus ex omnibus sæculi nostri Medicis, memoria dignis, cujusque monumentis ac gloriæ, nulla unquam ætas finem est allatura, opinionem interposuit, hac facta suarum cogitationum summa, intestinum illud, quod per contentionis disputationes fuit tractatum, non indolis esse genuinæ, sed mucum quendam, qui intestino colo fuerit appositus. Est hac de re Viri illustris sensus in *Medicina consiliatorie Tom. XI.* p. 401. & 413. Ich solte fast mehr davor halten, daß die tunica mucosa intestini coli, bey denen lange anhaltenden Schmerzen in sua substantia incrassaret worden, umb so vielmehr, da er copiosam materiam viscidam & caseofam wegen der häufig genossenen Milch im Leibe gehabt, daran es sich fast lamellatum über geleget, darnach abscidiret und evacuiret worden, daß also ganz wohl die Gestalt eines Darms hat haben können / und vielhäutig zu seyn scheinet, davon ich nichts determiniren kan, wie wohl

wohl mit gegenwärtigen Umständen ægroti, fast nichts anders zu vermuthen; umb so viel mehr, als man dergleichen Exempel, da man von vieler Arbeit, dicke Haut ordinair in denen Händen bekomt, auch in einigen affeetibus vesicæ heobachtet worden, daß das collum vesicæ mit allen tunicis verdickt geworden. In eo cum jam essem, mihi ut pararem aditum ad Doctoris nomen & insignia percipienda, Vir magnificus atque experientissimus, D.N. D. JOH. LEMBKE, hodie ordinis sui Decanu spectatissimus, auctor mihi fuit ac suasor, ut ex casu, mox adducendo, veritatem, intestinum illud excretum, fuisse verum ac genuinum, elicerem atque adstruerem. Certe, non mihi in vita omni res ulla tam erit proposita, quam ut mandata Viri hujus illustris strenue exsequar, meaque in eum studia extent acerima. Illum namque maxime, sensu officii mei interno commotus, sicut Parentem & observo & diligo. Ingenuo fateor quidem, esse negotium, a me suscepsum, arduum satis, & plurimis obstructum difficultatibus: Enimvero circumspetis rationibus omnibus, quæ ad hanc rem facere videntur, sic animum meum induxi, planum ut reddam, intestinum illud verum fuisse ac genuinum. Hos vero cancellos mihi habebo constitutos, ut in CAP. I. generatim naturam partium solidarum; in CAP. II. Historiam anatomicam canalis intestinalis; in CAP. III. morbum ipsum; in CAP. IV. denique rationes, pro vero intestino excreto facientes, exponam, recensem, evolvam, excutiamque. Est votorum summa, cuncta ut bene & feliciter mihi eveniant.

A 3

CAP. I.

CAP. I.
de Natura Partium Solidarum,
earundemque
 Proprietatibus in genere.

§. I.

Partes, corpus humanum constituentes, & e quibus illud est compositum, sunt vel solidæ, vel fluidæ, (princ. physiol.)

§. II.

Tam vero solida, quam fluida, una eademque prædita sunt mixtione fundamentali, atque quoad maximam partem, ex quatuor principiis composita sunt, nimirum e particulis aqueis, sulphureis, salinis & terreis.

SCHOLION I.

Sanguinem si subjecimus igni chemico, semper destillatione elicetur aqua quedam, oleum quoddam, sive substantia, quæ cum sulphure quoad omnes proprietates convenit; sal apponitur lateribus vasis destillatorii, & in fundo remanebit terra quedam, (experim. chemica); eadem etiam evenient, si sanguis, per quoddam temporis spatium, vase quodam asservatur. Quo facto, primo supernat aqua quedam, cuique Medici nomen seri & lymphæ imponunt; hacce aqua accidente leni calore evaporata, remanet substantia quedam rubra, compacta, solida, quæ si lingue imponitur, saporem salinum præ fert; hocce phenomenon probat, particulas salinas sanguini inesse; nam si corpus quoddam est lapidum, illius mixtioni ut inluit particulae salinæ, necesse est (princ. physic.). Sique hæc substantia flammæ, etiam tantummodo candelæ, committitur, statim ignem emitit; quo evincitur, sanguinem particulas sulphureas in se reconditas habere. Nullum namque corpusflammam concipit, nisi in illo particulae sulphureæ adint (princ. physic.) Terrearum denique particularum præsen-

tiæ,

tiam, substantia illa solida compacta, probat ac demonstrat. Solidæ partes corporis humani, quarum multæ in eo offenduntur, non solum originem suam debent fluidis, sed fluida etiam materiam illarum nutritiam constituant, atque vim crescendi præbent. Nam quid ovula, in ovariis sexus sequioris contenta, sunt aliud, quam liquamen quoddam fluidum? quidnam aliud sunt partes solidæ, primis mensibus embryoni inexistentes, quam substantia quædam fluida (per experient. ut & HARVÆI Tr. de Generat. animal.). Nutrimentum, cuius vi embryo in utero augeatur, & ad debitam maturitatem perducitur, quid est aliud, quam corpus quoddam fluidum, ad uterum matris & embryonem datum. Ramus arteriæ cujusdam maximus, ut rem exemplo reddam illustriorem, radieæ & cubiteæ, quique ramos largitur partibus manus (princ. anat.), plenarie si transfoissus est, vixque unus vel alter, sicut aliquando experientia hoc docuit, adest ramus collateralis, manus, nisi hæmorrhagia, qua semper insequi solet fortis admodum, finem vitæ imposuerit, decrescit, magnitudo ejus immittitur, nutritio tantum non intermititur (per experient.) Quodsi igitur jam in causam eorum, que diximus, inquiramus, exdem sua sponte offeruntur. Nam si pars solida, fluido quodam est nutrienda, materia illa fluida constituens, ad partem nutriendam advehi debet; (princ. physiol.) Quod vero nullo potest modo fieri, nisi intra canales contineatur, & coerceatur, & hisce intervenientibus, ad partem solidam nutriendam propellatur. Canales, quibus hoc efficitur, sunt arteriæ (princ. physiol.); arteria idem ut efficiat, requiritur, ut nihil adsit, quod dicta in antecedentibus impedit, & desfruat; impediuntur & destruuntur hæc, si appulsus liber fluidorum ad partem solidam nutriendam intercipitur. Id quod fit, si cohæsio partium, arteriam constituentium, inter se invicem tollitur, & solutio continuu fit, fluidoque intus contento, via conceditur, ex arteria erumpendi, qua ratione ad partem solidam non adseritur. Vulner, arteriæ infictum, cujusque vi arteria plane discissa, causa est, quare hæc fiant antecedentibus dicta (per experient.). Ergo defectus fluidorum in parte solida nutrienda; est causa nutritionis deficientis, cum e contrario sufficiens copia fluidi, & requisita alia, ad nutritionem necessaria, si adsunt, pars solida crescit, ejus

magni-

magnitudo augetur. Arteria quadam ligata, quæ ad partem solidam quandam abit, nutritio partis illius tollitur, ob easdem in antecedentibus causas commemoratas. Consultatur venerandi mei præceptoris, Illustr. FRIED. HOFFMANNI *Med. Syst.* Tom. I. p. 166.

SCHOLION II.

Cum itaque jam paucis dederim evictum, solida corporis nostri, originem, incrementum, nutritionemque fluidis debere, [Schol. I.] fluida vero, excepto chylo, originem suam fortiantur a solo sanguine, [Schol. I.] adeoque iisdem particulis, quibus gaudet sanguis, quoad maximam partem constare; sanguis vero compositus fit ex particulis aqueis, sulphureis, terreis & salinis: [Schol. I.] Solida etiam nostri corporis iisdem particulis constare, redditur manifestum.

§. III.

Quamdiu hæc principia (§. 2.) non cohærent firmiter, numerus punctorum contactus adhuc est minor, & sese juxta se invicem movent, sunt corpus fluidum: (princ. physic.) Simulac vero cohæsione firma uniuertur, numerus punctorum contactus fit major, naturamque solidorum induunt (princ. physic.)

SCHOLION.

Sanguis, qui est fluidum corporis nostri primarium, quamdiu invasis, arteriis sc. & venis, continetur, & in illis tam motu progressivo, quam intestino agitat. ejusque partes inter se invicem moventur, numerus punctorum contactus est minor, & cohæsio ejus firma impeditur, semper manebit fluidum. Quando autem ei vis conceditur, ex vasis, arteriis sc. & venis, egrediendi, motus tam intestinus, quam progressivus, perit; partes ejus non amplius juxta se invicem moventur, numerus vero punctorum contactus & cohæsio fit major; ex sanguine antea fluido fit solidum, uti manifeste deprehenditur in polypis cordis & vasorum majorum, (Illustr. FRIED. HOFFMANNI *Dissert. de Præcipienda polyporum generatione, & princ. pathol.*), ut & in Sanguine, e

vena

vena secta emissio (per experient.). Lympha, quæ corporis nostri partes solidas nutrit (princ. physiol.) quamdiu in arteriis sanguiferis sc. & lymphaticis adhuc in circulum fertur, tamdiu habet naturam fluidi; simulac vero ad partem solidam nutrientiam, exempli causa, fibram, allata est, atque cum ea, quia lympha nutrititiam specificem levior, quam pars nutrienda solida, coheret, atque motu, quo concitabatur antea pri- vatur, lympha antea fluida mutatur in corpus solidum. (princ. physiol.)

§. IV.

Pars solida corporis humani est, cuius partes, so- lidam illam partem constituentes, firmiter cohærent, (§. 5. Schol.) atque ad sensum in quiete constitutæ sunt. (princ. physic.)

§. V.

Partes solidæ (§. IV.) corporis nostri dividuntur in molles & duras. (princ. physic.)

§. VI.

Ad molles referendæ sunt omnes partes solidæ fle- xibiles, ut viscera omnia, musculi, cetera. Duris vero annumeranda sunt ossa, cartilagines, reliqua.

S C H O L I O N.

Si jam sub examen vocamus differentiam hanc partium solidarum inter se, (§. 5.) in corpore humano quoconque reperiendarum, variae adduci possunt causæ, quæ partim ex principiis scientiæ, quæ abditas rerum causas perscrutatur, depromptæ sunt, partim etiam ex illis, quæ ex notitia sanii corporis humani hauriri possunt. Et primo quidem quod attinet ad priores, in physicis datur evictum atque comprobatum, corpus quoddam solidum, quo major est cohæsio partium, solidam illam partem constituentium, eo majorem secum conjunctam habere soliditatem atque duritatem. Partes vero corporis humani solidas, eodem modo constitutas esse ac comparatas, illis, qui structuram corporis hu- mani investigarunt, illudque fecuerunt, latere non potest. Nam si stru-

B

cturam

cturam corporis cuiusdam solidi mollis, verbi causa, musculi, aut visceris cuiusdam, penitus perscrutamur, conspicuum erit, partes illius, quæ illam efformant, multo faciliter interveniente cultrorum acie, aut aliorum instrumentorum ope, disjungi atque discontinuari posse; quod ex sectione anatomica harum partium patet. Si vero structuram & compositionem partis, cuiusdam solidæ duræ, ut ossis, eodem modo, quo partem solidam mollem vellemus investigare, neutiquam hoc felici manu possumus perficere (per experient.). Facilis vero methodus, structuram partium solidarum mollium, ita, uti in antecedentibus dictum, perscrutandi, nulla alia abs re proficiscitur, quam a cohaesione minori & laxiori partium, partem solidam mollem efformantium. Cum e contrario difficilis, aut plane inanis methodus, structuram partis solidæ corporis nostri duræ indagandi eo, quo examinamus, modo partem solidam mollem, attribuenda sit cohaesione majori & fortiori partium, partem illam solidam duram efficientium. Deinde constat e physicis, corpus solidum esse mollius, quo majorem copiam substantiæ cuiusdam fluidæ secum habet coniunctam; durius vero esse, si minori copia substantiæ cuiusdam fluidæ gaudeat. Imo ex corpore fluido potest evadere solidum, si humiditas ab eo removeatur; quemadmodum videre est in inspissatione liquorum, oleorum & pinguedinum, coagulatione sanguis & exsiccatione corporum humidiorum ac mollium. Quodsi itaque oculos defixos atque detentos habeamus in partibus solidis, tam molibus, quam duris corporis humani, perspicuum erit, quando contemplamur musculum, aut viscus quoddam, utpote cor, pulmones, quæ sunt partes molles; in hisce multo majorem quantitatem partium fluidarum reperi, quam in parte dura, ut osse. Si etiam pars solida dura, & pars solida molliis C. H. igni chemicò subjiciuntur, semper ex parte solida molli major quantitas fluidorum, quam ex parte solida dura, elicetur: Ita namque os quoddam majorem quantitatem terræ, & minorem quantitatem fluidi, reddit. (experim. chem.) Vulnera etiam partium solidarum mollium, & durarum, majorem lucem hisce dictis accidunt. Denique in scientia rerum naturalium docetur, corpus solidum majori esse prædictum mollitie, quo majorem copiam particularum solidiorum, & terrearum, in se reconditam habet; majori vero

vero duritia esse præditum, quo majorem quantitatem particularum antea dictarum in sinu suo fovet. Ita enim lignum quercinum in aqua, particulis salinis, terreis ac metallicis scatente, diu detentum, in lapideam substantiam convertitur. Si secundum regulas artis chemiæ, corpus quoddam solidum molle & durum C. H. examinamus, eventus monstrabit, multo minorem quantitatem partium terrearum parti solidæ molli inesse, quam parti solidæ durae. Sicuti in antecedentibus de osse jam fuit adstructum. Et ob hancce ultimam causam, ossa principio mollia indurescunt. (per princ. de generatione ossium.)

§. VII.

Nervus est collectio exiguæ magnitudinis alborum filamentorum, mediante pia matre connexorum, eidemque inclusorum, a cerebro aut medulla spinali originem trahentium, ad omnes partes corporis humani diffusorum (princ. anat.). Et hæc quidem spiritus sic dictos animales secum vehunt, & tam motui, quam sensui producendo inserviunt.

SCHOLION.

Facili modo, dicta in § pluribus argumentorum nervis possem corroborare, sed hocce instituti mei ratio non permittit, siquidem unicuique, qui etiam Anatomiæ & Physicam tantummodo a limine salutavit, hæcce sunt nota atque perspecta; sed potius B. L. ablegare volo ad HOFFMANNI *Med. Syst. Tom. I.*, BOERHAVII *Instit. Med.*, BERGERI *Physiol. Med.*

§. VIII.

Vasa sunt canales oblongi, conici, membranosi, quibus liquores in corpore vehuntur.

SCHOLION.

Vasis diversa imponuntur nomina, partim e liquore, quem in se continent, partim ex usu, qui ex iis in corpus humanum redundat. Ita namque illa, quæ sanguinem ducent, appellantur *vasa sanguisera*; quæ

Lympham, vasa lymphatica; quæ sanguinem a corde ad omnes corporis partes ferunt, nomine arteriarum; quæ vero sanguinem a partibus corporis ad cor revehunt, nomine venarum insigniuntur. Atque eadem quoque est ratio vasorum seriferorum. Differunt etiam vasa ratione structuræ, cum quædam structura robustiori gaudent, & vi elastica sint prædicta, ut arteriæ; quædam vero debiliiori, ut venæ.

§. IX.

Fibra est species filamentorum, ad sensum simplex, valde tenuis, ex nervis, (§. 7.) & vasculis, (§. 8.) quæ intra se invicem intertexta sunt, composita, peculiari membrana inclusa, (princ. anat.) & structuræ omnium reliquarum partium solidarum destinata.

SCHOLION.

In fibra etiam minima, si oculo armato ea subjicitur, sese sifit substantia quædam rubra & alba; ex quibus perspicuum est, fibram ex diversis substantiis esse compositam. RUY SCHIUS vero docuit, ad unamquamque fibram efficiendam concurrere nervum, (§. 7.) arteriam, (§. 8. Schol.) venam, (§. 8. Schol.) & vasa lymphatica (§. 8. Schol.). Nam nervus necessarius est in fibra unaquaque, ad sensum & motum, qui in fibra viget, producendum; siquidem ab eruditis iam est recepta sententia, nullum sensum & motum in parte quadam corporis humani posse contingere, nisi hunc efficiant nervi. Ligato enim, absctio, aut plane obstructo nervo, ad partem aliquam qui abit, omnis sensus & motus plane tollitur. (per experient.) Pungat etiam tantummodo quidam acu, partem quamcumque corporis velit, semper sensum quendam percipiet, cui nomen doloris imponi solet. Arteriam ad fibram efficiendam, symbolam suam conferre, tam a priori, quam posteriori confirmatur: Nam ex Physiologicis patet, ad unamquamque corporis nostræ partem, quamvis etiam sit minima, sanguinem auxilio arteriarum advehit, ad nutritionem perficiendam & absolwendam. (§. 2. Schol.) Jam vero stabilitum est a Physiologiz Doctoribus, unumquodque corporis nostri punctum in dies nutritionem sui postulare, adeoque & fibram mini-

minimam; medium vero, cuius auxilio materia nutrititia ad partem nutritiendam adfertur, sunt arteriae, (§. 2. Schol.) atque adeo arteria, ut ad fibram minimam efficiendam concurrat, necesse est. Injectiones vero, evolvantur RUY SCHII *Thebauri anatomici*; & microscopia, a deantur LOWENHOEK *scripta*, hisce dictis robur majus adjiciunt. Cum itaque sit evictum, arteriam compositioni fibrarum inservire, (anteced.) atque ex sectionibus anatomicis sit manifestum, arteriam unamquamque circa sui extrema abire in venas, vasa lymphatica, reliqua, puto, elucescere, venam sanguiferam & vas lymphaticum in fibra minima etiam adesse. Accedit & hoc, quod sanguis, a nutritione, & lymphae superfles, auxilio venarum sanguiferarum & lymphaticarum, a parte nutrienda, ad cor iterum reducatur. (princ. physiol.)

§. X.

Omnis partes solidæ C.H. compositæ sunt ex fibris,
(§. 9.) & vasculis, (§. 8.).

SCHOLION.

Sectiones anatomicæ, etiam tantummodo rudiores, validissimo argumentorum robore hoc evincent. Exempli loco sint cor, musculus, ventriculus, membranæ, tunicae, intestina. In § præcedenti, & Scholio annexo, discussum est, fibrarum compositionem ingredi vascula; cum vero unaquæque pars solida conflata est ex fibris, fibra vero constat ex nervis & vasculis, (§. 9. Schol.) sibi invicem intertextis, manifestum exinde est, partem solidam iisdem, quibus fibra est constructa, partibus constare, adeoque & vasculis.

§. XI.

Omnis partes solidæ molles, flexibiles C.H. (§. 6.
schol.) statu naturali constitutæ, sunt certo modo tensæ;
& hæcce tensio, dicitur TONUS illarum.

SCHOLION.

Pars quædam solida mollis, transversim si discinditur, ambo discessa extrema retrahuntur, & sèpe tantum spatiū inter illa relinquuntur, ut

in eam inde ingrediamur sententiam, substantiam quandam carnis esse amissam; quemadmodum comprobant vulnera partium solidarum mollium. Ex hisce vero inferimus, omne illud, quod contrahitur, si discinditur, antea fuisse tensum; & quo magis abbreviatur, eo magis fuisse tensum. Experientia etiam haecce suis documentis comprobat. Observatur namque, si discissa est tendo quedam, quæque semper majori gradu est tensa, quam pars quedam, ex fibris carneis quæ est composita, (princ. physl.) semper extrema discissa, in tendine, majori vi retrahi, quam in parte quadam, fibris carneis quæ est constructa: Cum vero haec in antecedentibus dicta sint conspicua, in omni parte solida flexibili C.H., certum est, illas, in statu naturali si constitute sunt, esse tensas sive tono præditas.

§. XII.

Hicce tonus partium solidarum, (§. II.) quatuor potissimum causis originem suam debet; nempe 1.) tensioni mechanicæ fibrarum, quæ quasi intra duo puncta fixa extenduntur. Nam fibræ carneæ alligatae sunt ossibus, & quando haec in statu suo naturali servantur, tamdiu etiam fibræ sunt tensæ: Si vero haec e situ suo naturali turbantur, fibra etiam retrahitur, & evadit brevior; sicuti accidit in luxationibus. 2.) Huic tensioni mechanicæ succurrunt vascula, quæ unamquamque fibrarum, etiamsi sit minima, in modum retis circumdant quasi; Exemplum dictis clarius lumen inferet. Si alligantur extremitates funis cuiusdam, auxilio duorum clavorum, mensæ planæ, & funis hicce magna vi extenditur, tunc funis hicce est tensus. Si vero huic funi tensio subjicitur lignum, aut aliud quoddam corpus celsum, tunc ille funis efficit arcum, et adhuc magis est tensus (per experient.). Ita vascula, quæ sanguine, aut alio quoddam fluido, sunt repleta, vicem illius corporis celsi susti-

sustinent, qvod fibris tensis qvæsi subjicitur, quo illæ in medio attollantur, & ita elongatio & expansio illarum faciliores reddantur; unde etiam evenit, ut, si pars qvædam corporis humani solida pallet, & nullus illi inest sanguis, illa evadat contractior atquè brevior; prout fit, si musculus qvidam frigore afficitur. 3) Tonus partium solidarum mollium adjuvatur a fibris & musculis antagonistis, qvi contrario motu pollut. Si itaque fibra aut musculus, nitatur se contrahere, & abbreviare, tunc antagonista, fibram, aut musculum, qui se contrahere vult, versus se attrahit, & ita extensionem fibræ & musculi prioris adjuvat. Dicta hæc optime corroborantur experientia: ita namque, ut rem exemplo quodam reddam illustriorem, musculi faciei, si in sinistro latere paralyti afficiuntur, musculi lateris dextri sese contrahunt, et facies inde evadit dissimilis. (per experient.) Si vero fibræ, corpus qvoddam solidum molle constituentes, non essent perviae, tres illæ in antecedentibus allatae causæ essent sufficentes, tensioni illarum producentes: Qvia vero sunt perviae, adhuc expansio qvædam qvoad crassitatem requiritur. Si vesicam, aut aliud corpus solidum flexibile, cavitate quod est præditum, omnime extendere, animus est, repleri debet aëre, aut alio qvodam fluido; eodem quoque modo fibræ carneæ, qvæ ex nervis & vasculis, (§ 9.) sunt compositæ, illo, qvod in fibris nerveis continetur, fluido nerveo sunt repletæ (§. 7. Schol.) ; qvod illas qvoad crassitatem expandit. Qvod vero hæc veritati sint consentanea, cernitur, si nervus qvidam, qvi ad partem quandam solidam fibris car-

carneis qvæ est composita, abit, ligatur aut discinditur, omnes illius fibræ qvoad crassitiem collabascunt, quamvis qvoad longitudinem maneant extensæ. Et hæcce est quarta causa, qvæ tono fibrarum producendo inservit. Pluribus argumentis hoc etiam probavit Illustr. FRIED. HOFFMANNUS in *Med. syst.* Tom. I. p. 89. Ex hisce igitur antecedentibus dictis, potest ad liquidum perduci, ad tonum fibrarum requiri illarum extensionem & expansionem, tum qvoad longitudinem, qvæ partim fit per puncta fixa, (num. 1.) partim per fibras & musculos antagonistas, (num. 3.) partim etiam per vasa subjacentia, (num. 2.) tum etiam qvoad crassitiem, quæ sit per influ-
xum fluidi nervæi. (num. 4.)

§. XIII.

Quando vero in fibram, jam jam tensam, major copia fluidi nervæi intrat, quam ad illarum naturalem exten-
sionem & expansionem requiritur, illius crassities augetur & fibra intumescit. Ponamus, ad expansionem, in fibra producendam, reqviri scrupulum unum liquidi nervæi; verum quantitas hæc fluidi nervæi, in fibra augmentum adhuc caperet scrupuli dimidii, ejus crassities necessario debet augeri, & fibra intumescere. Si vero canalis mem-
branaceus, qui jam quoad maximam pârtem fluido quo-
dam est repletus, adhuc majori copia fluidi repletur, evadit quidem crassior, verum longitudo ejus simul im-
minuitur, & fit brevior (per experient). Ita etiam fibra, si illi inest major quantitas fluidi nervæi, quam ad expan-
sionem & extensionem naturalem necessaria erat, non modo evadit crassior, sed etiam brevior & contractior; &
fibra

fibra sese contrahit. Et si hæc dicta fiunt in fibra, dicimus, fibrām se contrahere. Huic vero contractioni nō men imponitur constrictio naturalis.

§. XIV.

Constrictio itaque fibrarum, partes solidas molles constituentium, est copiosioris liquidi nervi influxus, in partes tensas, sive tono præditas, (§. 13.) effectus.

§. XV.

Quodsi vero talis constrictio fibrarum naturalis, (§. 14.) per omne tempus duraret, nec artus possemus movere, nec etiam motus in corporis humani partibus flexilibus mollibus possent peragi. Natura ideo strueturam corporis nostri ita adornavit, ut hæc constrictio naturalis, vi sua propria sese iterum possit tollere; & hoc perficitur secuto modo. Retineamus exemplum suppeditatum (§. 13.); fibra nempe facultatem acquirit, se contrahendi, quando in illa adest quantitas major liquidi nervi, quam ad tonum erat necessaria, nempe scrupulus unus cum dimidio; cum ad tonum illius tantummodo requiritur scrupulus unus: Constrictio hæc itaque iterum tollitur, si superfluus scrupulus sem iterum expellitur: Nam quando hic deest, iterum fibræ crassities tanto gradu non amplius est aucta, adeoque longitudo illius iterum etiam augetur, & illum, quem antea habebat tonum, denuo recipit, cum tantummodo scrupulum unum liquidi nervi fibra in se retineret; Et hicce motus fibrarum nominatur relaxatio.

C

§. XVI.

§. XVI.

Hæcce superflua quantitas fluidi nervi e fibra expellitur dupli modo: Primum, si fibræ cujusdam crassities ab influxu liquidi nervi copiosiori augmentum cepit, fibra hæc, vasa circumiacentia compressit sanguifera, adeoque sanguis ex arteriis in venas non potuit transire; & quantitas sanguinis, continuante circulatione, major facta est in arteriis; quando vero arteriæ sanguine sunt repletæ omnimode, ut vis illarum evadat fortior, quam fibrarum tensarum resistentia, tunc fluidum nerveum ex fibris tensis expellitur, & vascula, quæ cum fibrillis nerveis connexa sunt (per princ. anat.), quæque fibræ compositionem adimplent (§. 9. Schol.), excedunt, & fibra ad priorem statum, in quo erat, revertitur. Deinde etiam actio fortior fibrarum antagonistarum ad relaxationem fibræ multum conferre potest; verbi causa, fibræ musculum flexorem tibiæ constituentes, sunt constrictæ & breviores factæ, tunc fibrarum, musculum extensorum constituentium, longitudo est aucta; si vero in fibras extensoris major quantitas fluidi nervi intrat, & majorem vim acquirit, quam constrictæ fibræ musculi flexoris, illæ se fere contrahunt, fibras musculi flexoris versus se trahunt, & illas expandunt; adeoque fibrarum, musculum flexorem constituentium, constrictio cessat, & iterum extensio & expansio, nec non longitudo naturalis illis conciliantur. Ex dictis itaque manifestum esse, puto, causam relaxationis naturalis fibrarum esse sanguinis auctum influxum in arterias, & porro auctum influxum liquidi nervi in fibras & musculos antagonistas.

§. XVII.

§. XVII.

Ex hisce duobus motibus, nempe constrictione (§. 13. & 14.), & relaxatione fibrarum carnearum & muscularium (§. 15. & 16.), componitur motus quidam partium solidarum flexibilium mollium, qui insignitur nomine motus tonici.

§. XVIII.

Motus tonicus est ille motus partium solidarum flexibilium mollium C. H.; qui cognoscitur tam ex reciproca illarum contractione atque abbreviatione, quam etiam ex mutua elongatione atque expansione.

SCHOLION.

Quamvis omnes partes solidæ flexiles molles, tono sint prædictæ (§. II. Schol.), tamen non omnes gaudent motu tonico; v. c. nullus motus tonicus observatur in aponeurosis, partibus tendineis, in periostio, &c. ut multa paucis comprehendam, in omnibus partibus tendineis, quia sc. fibra illarum tam magno gradu jam sunt tensæ, ut non sufficientem quantitatem liquidi nervi capere possint. Porro nullus motus tonicus observatur in visceribus quibusdam, ut hepate, liene, pulmonibus, exceptis vasis & membranis illorum. Est autem regula generalis tenenda: ubi fibræ carneæ & musculares, ibi tonus & motus tonicus locum habet; ubi vero fibræ tendineæ, ibi solus tonus obtinet.

§. XIX.

Præsertim vero motus tonicus est conspicuus, primo in omnibus musculis, qui huncce exserit usum, ut mediante illo, motus voluntarii artuum perficiantur; quo modo autem hic perficiatur, partim ex præcedentibus (§. 12, 13, 14, 15.) intelligi potest, partim etiam illi evolvi possunt, qui Physiologias compilarunt, ut BERGERUS, HOFFMANNUS, BOERRHAVIUS; deinde in omnibus

omnibus canalibus & ductibus excretoriis, ut ductibus salivalibus, membrana fibrofa investitis, ductibus biliofis, pancreatico, ureteribus, vesica, tunica musculari prædita, urethra, vagina uteri, ex quo motu hicce usus in hasce partes redundant, ut vim habeant, fluidum illud, quod in iis contentum, ulterius propellendi. Tum motus iste in cœsophago, ventriculo, intestinis, viget, in quibus motus peristalticus audit, quique inservit concoctioni, propulsioni & excretioni contentorum. Tandem vero idem in corde & arteriis sese exserit, quæ gaudent systole atque diastole, ad propellendum sanguinem.

§. XX.

Quamvis vero in omnibus, (§. 19.) dictis partibus, motus vigeat tonicus (§. 18.); hicce tamen motus diversimode determinatur; nam in musculis non est continuus, sed tunc tantummodo peragitur, quando homini membrum quoddam movere, animus est; atque a nutrimento animæ pendet; Nam in nostra voluntate situm est, utrum membrum velimus movere, an non. Verum in ceteris internis partibus, exceptis quibusdam canalibus, ut urethra, hicce motus continue durat, neque ullo quidem temporis momento cessat; nec in voluntate nostra positum est, illum aut coercere, aut augere. Priori Medici nomen MOTUS VOLUNTARII; posteriori vero AUTOMATICI imposuerunt. Qua ratione autem posterior ille motus perficiatur, ex sequenti §. patebit.

§. XXI.

Omnes tales partes, puta ductus excretorii (§. 19.), ventriculus, intestina, arteriæ, tunica musculari sunt, prædita

præditæ (princ. anat.). Si vero in structuram hujus tunicæ paulo penitus inquiramus, manifestum erit, illam compositam esse ex duplicibus speciebus fibrarum, nempe ex fibris longitudinalibus, quæ secundum canalis longitudinem decurrunt, & annularibus, sive circulibus, quæ transversim, & annuli in modum canalem circumdant; Adeoquæ hæ fibræ eadem gaudent structura, qua fibræ musculares (§. 9.). Ambæ hæ species fibrarum sunt antagonistæ inter se invicem, & contrario motu pollent: Nam fibræ longitudinales quando constringuntur (§. 13.), vasa & canales secundum longitudinem constringuntur, & evadunt breviores; & ita etiam majorem amplitudinem acquirunt. Omnia vasa & canales in cavitate sua fluido qvodam sunt repleta; qvando igitur longitudine eorum imminuitur, fluidum, intus contentum, non tantum conficit spatium, quantum, cum longitudine eorum adhuc fuerit aucta; adeoque vasa & canales secundum latitudinem expanduntur, & amplitudo eorum augetur, atque ita actione fibrarum longitudinalium cavum vasorum & canalium crescit. Dum ex adverso, si fibræ transversales constringuntur, cavum vasorum & canalium imminuitur, longitudine illorum iterum augetur, omneque, quod in illis contentum est fluidum, aut aliud quoddam corpus, expellitur, & ulterius fertur. Cum vero hæ ambæ species fibrarum contrario polleant motu, nullo potest fieri modo, ut illæ simul, & uno atque eodem tempore, possint agere, sive constringi: nam ex his consequitur, vas quoddam, & canalem quendam, uno

C 3

eodem-

eodemque tempore posse constringi & dilatari, quæ tamen sunt inter se pugnantia; Quare fibræ hæ munere hoc suo debent fungi reciproce.

SCHOLION.

Exemplum secutum, majus pondus dictis haec tenus adjicit. Si in arteria, aut alio quodam canali, fibræ transversales sunt constrictæ, arteriæ aut canalis cavitas facta est angustior, longitudinales fibræ sunt relaxatae, & ita etiam arteriæ, aut canalis, cavum factum est angustius. Liquidum vero nerveum continue influit, (præc. physiol.) in constrictis transversales non potest intrare, quia jam liquido nerveo sunt referatae, adeoque hoc copiosius irruit in fibras longitudinales, quæ sunt relaxatae & vacuae. Quodsi vero copia fluidi nervæ, tanto gradu in his augeatur, ut vim acquirant majorem, quam transversales, eadem constringuntur, & fibras transversales relaxant, illarumque longitudinem adaugent.

§. XXII.

Nutritio partium solidarum C. H., est restitutio illorum, quæ in illis desperita sunt atque amissa.

§. XXIII.

Restituuntur illa, qvæ desperita & amissa sunt in solidis, fluido quodam, quod dicitur lymphæ, sive succus nutritius.

SCHOLION.

Quod lymphæ sit materia nutritionis partium solidarum, demonstratur partim ex generatione, ex qua patet, ovoidum nil aliud esse, quam lympham: Nam embryones, ac pulli, in aqua tepida in liquoramen pelliculam penitus possunt resolvi; partim ex vulneribus; etenim si fibre in parte quadam solida sunt discissæ, lymphæ materiam conferit ad novam productionem fibrarum (per experient.). Fuius vero veritatem, lympham esse materiam nutritiam partium solidarum, solidis rationibus excusserunt HOFFMANNUS in *Med. syst. Tom. I. pag. 162, 163, & 164;* nec non BERGER in *Physiologia medica.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Lympha vero est fluidum pellucidum, aquosum, aliquantulum viscatum & gelatinosum, ex aqua, oleo, terra, & sale subtili compositum. (princ. physiol.)

§. XXV.

Hæcce lympha (§. 24.) partim commixta est cum reliquis humoribus in vasis sanguiferis, partim continetur in propriis vasis, lymphaticis dictis, ideoque illa insinuitur nomine lymphæ sanguinis; hæc vero vasorum.

§. XXVI.

Lympha sanguinis, actione vasorum sanguiferorum & pulmonum, ex chylo elaboratur; (princ. physiol.) lympha vero vasorum in extremitatibus arteriarum secernitur (princ. physiol.), & ab arteriis lymphaticis recipitur.

§. XXVII.

Arteriæ vero lymphaticæ, illa sunt organa, quæ lympham, nutritioni destinatam & idoneam, ad partem solidam nutriendam advehunt, & quidem vi circuli sanguinis, impulsu arteriarum, (§. 2. Schol. & §. 3. Schol.) propriaque actione arteriarum lymphaticarum.

§. XXVIII.

Particulæ lymphæ ejusmodi, (§. 24.) evadunt in partes solidi, inde formandi, si cohærent cum reliquis partibus solidis (§. 13. Schol.), quæque cohæsio optime producitur, si in solido sit locus capax, a deperdita particula solidi relictus, simulque in fluido particula respondens mole, figura, natura, tum & vis, quæ eam intrudat illi loco, vel accommodet, & hanc quidem efficit circulus sanguinis, impulsus arteriarum, & actio propria arteriarum lymphaticarum. (BOERH. Institut. §. 198.)

CAP. II.

CAP. II.

*de Canali Intestinorum & illis Partibus,
quæ illum circumdant.*

§. I.

Intestina sunt canalis, figuram cylindri repræsentans, membranis quatuor, aut secundum quorundam mentem, quinque compositus, quique ab orificio ventriculi inferiori, sive pyloro dicto, incipit, & in ano finitur; regiones cavitati ultimæ corporis humani adscriptas, ut plurimum occupans (princ. anat.), chyli secretioni & propulsioni in vasa lactea, & fæcum eliminationi inserviens. (princ. physiol.)

§. II.

Dividuntur intestina in tenuia, & crassa. Tenuibus adnumerantur tria, duodenum scilicet, jejunum, & ileon; & crassis totidem, nempe cœcum, colon & rectum, accensentur. (prin. anat.)

SCHOLION.

Intestina quamvis tantummodo unicun canalem referant; attamen quia hicce canalis quoad structuram, figuram & usum, vario modo se habet, diversis nominibus illum insigniverunt anatomiae doctores. Ita enim, quod attinet ad structuram illorum diversam; illis, qui peritia singulas humani corporis partes secandi sunt instructi, notum erit atque perspectum, fibras, ex quibus tunice, s. quod idem est, membranae, intestinorum tenuinum sunt compositæ, esse admodum subtile, cum e contrario fibre membranarum, ex quibus intestina crassa sunt constructa, mole & magnitudine superent priores; ideoque membrana muscularis, ejusdemque structura, in tenuibus multo difficultius, quam in crassis, ponit potest ob oculos. Figura etiam inter se differunt intestina, siquidem tenuia multo sunt angustiora, dum contra crassa majori

cap²

capacitate sunt instructa: nam sectiones manifestant, colon, quod est e numero crassorum, omnia reliqua intestina, amplitudine excedere. Idem habet locum in recto, & cæco, quorum amplitudo itidem major est, quam tenuum. Et denique etiam usus diversus, qui ex intestinis resultat, hancce differentiam intestinorum constituit. Ita namque apud omnes in confessu jamjam est, intestina tenuia, quoad maximam partem, fluido quodam tenui, chylo scilicet, esse repleta, cum ex adversa parte intestina crassa, fæcibus crassioribus pateant. (princ. physiol.)

§. III.

Quanta autem fieri poterit verborum brevitate, historiam intestinorum delineabo. Primo quidem singula intestina secundum ordinem enumerabo; Deinde membranas sive tunicas, vasâ sanguifera, & nervos recensebo; Tum usum, & denique illas partes, quæ intestina circumdant, præcipue vero usum, qui ex illis in intestina manat, & quibus annexa sunt, brevissimis attingam.

§. IV.

Primum locum inter intestina tenuia tenet duodenum, ideo sic dictum, quia longitudinem duodecim digitorum transversorum adæquare creditur. Orum habet proxime circa finem orificii ventriculi inferioris. In hocce vero intestino, præsertim notandæ veniunt tres curvaturæ, quarum prima sequenti modo est comparata; ut suo in itinere ita dirigatur, ut progrediatur ad extra, & retro; cavitas vero ejus ad interiora & anterius reflexa sit. In toto suo itinere hæcce curvatura est libera, nec mesenterio annexa. Hacce prima curvatura formata, efficit alteram curvaturam, quæ aliquantulum ascendit ad hypochondrium dextrum, &

D

iterum

iterum descendendo, ad renem dextrum abit, eidemque ope substantiae sive membranae cellulosa annexa est. Hac coniunctione cum rene facta, transcendit arteriam & venam renalem, & denique ascendit a latere dextro ad latus sinistrum, super secundam & tertiam vertebram dorsi, & truncum aortae, & oblique ad anterius; haecque est tertia curvatura duodeni, quae tandem finem assequitur in intestino jejunio. In hocce autem toto suo ductu, annexum est laminæ peritonæi, ope atque auxilio duplicaturæ transversalis, ubi incipit colon. Intestinum hocce absconditum est quasi in sacco, & sine dissectione ejusdem extremitates vix conspici possunt; quæ etiam ab intestino colo, [§. 14.] & jejunio [§. 6.] teguntur. Ex hisce itaque dictis intelligi potest, quænam pars hujus intestini regioni epigastricæ adscribi, & quænam jam ad umbilicalem regionem possit referri.

§. V.

Circa primam curvaturam (§. 4.), ductus cholidochus, & pancreaticus huic intestino inferuntur, ad bilem scilicet, & succum pancreaticum recipiendum. Cavitas vero ejus interna, dupli genere glandularum obsoleta est, quarum prius genus glandularum sibi contiguum est, aut tamen parvo interjecto spatio, situm suum habet; posterius vero genus glandularum, quodque præcipue circa finem hujus intestini reperiendum, non tanta copia prope se invicem positum est, sed magis dispersum. (MORGANGNI *Advers. anat.* III. p. 13., WEPFERUS *In Tractat. de Cicta aquatica*). Valvulis quoque conniventibus

ventibns plurimis, sive rugis est instructum, in principio nullis, in progressu vero quam plurimis. Tunicae denique robustioribus luxuriat, quam reliqua intestina tenuia. (HEISTERUS *Compend. Anat. Part. I.* p. 80:

SCHOLION.

A quibusdam equidem hisce rugis sive valvulis conniventibus, nomen valvularum conniventium KERKRINGII imponitur, quia sibi habent persuasum, esse easdem ab illo primo detectas. Cum vero valvæ intestinorum connientes idem sint, quod rugæ intestinorum; haec rugæ vero intestinorum, veteribus jam jam fuerint cognitæ, illi addictus sum opinioni, hisce valvulis, immerito nomen valvularum conniventium KERKINGII. (MORGANGNI *Advers. Anat. III.* p. 15.) Porro, si res exprimenda sit curatus, valvulae haec dictæ, nullæ veræ sunt valvulae. Conflabit hoc ex sequenti experimento. Perfectetur portio intestini cuiusdam tenuis, verbi causa jejuni, usque ad cavitatem illius, & ponatur in patina quadam, aqua repleta, tunc in conspectum valvulae prodeunt evidentius, redditurque manifestum, quod non in intestino circuli in modum circumneant, sed quod tantummodo segmenta circuli constituant, & hue & illuc finis illis imponatur; & quo modo, si finis illis fuerit praesstitutus, aut aliquantulum ad superiore partem cavitatis intestini, aut inferiorem, initium novæ valvulae adsit. Manifestum etiam simul erit, has valvulas uni suo margini annexas esse intestino, ibidemque formam angustiorem, & contractiorem alere, altero vero suo margine in cavitate intestini esse mobiles, & libere fluctuare, eoque loco multo laxiori & latiori superficie esse præditas. Formantur denique haec valvulae a tunica nervea & villosa, quia amplitudine superant amplitudinem reliquorum intestinorum; atque in duodeno & jejunio prostant copiosiores, maiores & majori copia juxta se invicem positiæ; in ileo vero magnitudo illarum imminuitur, & a se invicem sunt remotiores; versus colon copia illarum decrescit; quedam vero adhuc in colo reperiuntur, inter quas autem majus spatium est constitutum, quam in duodeno, jejunio & ileo. Qui plura de his legere desiderat, adeat GARENGEOT in *Splanchnologia* pag. 165, & 169. Si

D 2

autem

autem intestinum quoddam flatu est distentum atque arefactum, haec valvulae expanduntur, & formam valvulae vere praetereunt.

§. VI.

Alterum in ordine intestinorum tenuium est Jejunum, ideo tali nomine insignitum, quia plerumque in eo reperitur vacuum. Incipit circa tertiam curvaturam intestini duodeni (§. 4.), & extenditur adhuc aliquantulum supra fines regionis umbilicalis, praeceps vero medium & maximam partem hujus regionis occupat. Circumvolutiones ejus quidem superant longitudine circumvolutiones ilei, verum non tanto gradu sunt incurvatae, quanot hujus. Tegitur plerumque lamina omenti, quoad maximam partem; quæque lamina saepius circa finem regionis umbilicalis finem nanciscitur; interdum vero etiam usque ad hypogastrum progreditur. Perhibent equidem quidam Anatomicorum, HEISTERUS, ac VERHEYNUS, finem huic intestino imponi, eo in loco, quo valvulae non amplius sunt conspicuae. Verum quænam de hac re sit ferenda sententia, ex (§. 9.) patebit.

§. VII.

In parte vero interna hujus intestini, varia occurunt notatu digna; & quidem primo in illo occurunt multæ rugæ, sive valvulae sic dictæ conniventes; quæque in hoc copiosiores inveniuntur, quam in ullo alio intestino. Deinde considerationem meretur duplex genus glandularum, quarum prius ita se habet, ut singulæ glandulae singulatim juxta se satæ sint; quæque nominantur glandulae solitariæ, sive BRUNNERIANÆ; posteriorius

rius harum glandularum genus, ita est constitutum, ut glandulæ coacervatim juxta se sint positæ, & inter se cohærent arctissime, eum in modum, quo uvæ racemis adhærent. Hæ nomen gerunt plexus glandulosi, sive glandularum PEYERIANARUM. (GARENGEOT l. c. p. 120.). Hi vero plexus ea in parte, qua mesenterium intestinis annexum est, non conspiciuntur. (MORGANGNI l. c. p. 12.)

§. VIII.

Tertium in numero intestinorum tenuinum est Ileum; cuius situs est in regione umbilicali, & quidem potissimum infra umbilicum. Multos hoc intestinum efficit gyros & circumvolutiones, illæque majores sunt circumvolutionibus reliqvorum intestinorum. Circumdat & includit jejunum ad ambolatera, ut & quoad partem ejus inferiorem, cursumque suum flectit a latere finistro regionis umbilicalis per regionem hypogastricam, versus latus dextrum antea dictæ regionis; & denique cursum suum absolvit extremitate inferiori renis dextri. (§. 9.)

§. IX.

Multis vero difficultatibus obsessa atque circumfusa est demonstratio illa anatomica, qua certe posit demonstrari, quo in loco finis jejunii, & principium ilei, statuendum ac collocandum sit. Fovent quidem nonnulli Anatomici hancce sententiam, finem jejunii, & principium ilei, eo in loco esse reperiendum, quo-color rubeus, qvi in intestino jejunio, a vasis copiofissimis sanguiferis originem ducit, decrescit, & valvulæ

D 3

conni-

conniventes oculis subducuntur. Verum hæc certitudine quadam se non possunt tueri, siquidem ileum adhuc longitudine duorum pedum, colorem præ se fert rubeum, eodem modo, quo intestinum jejunum. Omni itaque studio quidam Anatomici in id operam suam contulerunt, ut certum principium huic intestino collocaretur; ideoque ambo intestina in quinque partes æquales divisorunt, duasque partes retulerunt ad jejunum, tres vero ad ileum; hisque peractis, autopsia anatomica edocuit, finem jejunum & principium ilei, ponendum esse non procul ab extremitate inferiori renis dextri. His vero ante constitutis, duce experientia anatomica, in principio ilei adhuc eodem modo, quo in intestino jejunum, color rubeus, & valvulae sic dictæ conniventes conspiciendæ fuerunt, quæ in progressu sensim decrescent, circa finem vero hujus intestini, omnimode deficiunt (*GARENGEOT. I. c. p. 171. & 172.*). Ex hisce itaque elucet, illos a recta via aberrasse, qui finem jejunum, & principium ilei eo in loco collocant, quo color rubeus & valvulae absunt. Cum vero ex antecedentibus pateat, ad jejunum tantummodo duas partes, ad ileum vero tres esse referandas, quia inter omnes constat, ileum esse longissimum intestinalium, & in prima parte adhuc adesse valvulas conniventes, & colorem rubeum, alias tantummodo jejunum adscriptum; certum exinde redditur, in intestino ileo itidem adhuc adesse colorem rubeum, & valvulas conniventes. Multæ etiam glandulæ tam solitariæ, quam plexus glandulosi, in hocce intestino, præsertim circa finem, comprehen-

deprehenduntur. Ceterum finem hocce intestinum invenit, eo in loco, quo crassa incipiunt intestina, & cœco quasi implantatur.

§. X.

Dum vero Ileum terminatur, iter suum dirigit in transversum; attamen aliquantulum oblique a latere sinistro versus latus dextrum, & in cœcum quasi introitum-sibi parat; eo quidem modo, ut quasi intra duas plicas sit positum: quæ plicæ duobus cellulæ cœci formantur; & si hæc ope cultri anatomici studio indagentur, manifestum erit, membranam communem, sive tunicam primam ilei, esse continuatam membranam membranæ primæ cœci. Tunica vero muscularis ilei non tota intrat cœcum; nam cum fibræ circulares hujus tunicæ, ut & cœci & coli, sibi quasi obviam procedunt, & tunc quidem fibræ hæc dictæ, omnes circa circuitum foraminis cœci conjunguntur, & constituunt fimbriam carnosam & musculosam: Fibræ vero longitudinales tunicæ musculosæ ilei se quasi radiatim supra fibras circulares expandunt, & formam sphincteris induunt. Tunica autem nervea, & villosa ilei tantummodo omnino intrant cavum intestini cœci, atque ibidem efformant fissuram longitudinalem, ad figuram ovalem proxime accedentem, eundemque situm, ut & horizontalem obtinentem, parvaque fimbria dotatam (GARENGEOT l. c. p. 173. & 174.)

§. XI.

Hæcce ovalis & horizontalis fissura & fimbria, (§. 10.) ea est, quæ vocatur, valvula aut cœci, aut coli, aut

BAU-

BAUINI. Valvulae vero nomen, huic fissuræ immrito esse inditum, docuerunt GAREN GEOT /c. CASSE BOHM methodo sceandi, aliique. Præterea MORGANGNI duo frena in hacce fissura & fimbria detexit, quæ a tunica villosa & nervea cœci & coli formantur. *Advers. anat.*

III. p. 13.

§. XII.

Primas inter intestina crassa partes tenet cœcum sive monoculum, quodque instar facci sub rene dextro ad os ilei dextrum, & quidem ad marginem ejus anteriorem est situm. Tectum est ac latet sub circumvolutionibus ilei ultimis; fundus vero intestini ita distans spectat versus inferiora, orificium vero ejus versus superiora. Longitudo ejus convenit cum longitudine quatuor digitorum transversorum, & in illo conspicitur appendix quædam, a figura VERMIFORMIS dicta, in qua nil aliud notatu occurrit dignum, quam quod in illo conspiciantur multæ glandulæ solitariae.

§. XIII.

Intestinorum crassorum secundum est colon, eorumdemque longissimum. Incipit ibidem, ubi finitur cœcum. Initio vero ejus formato, abit versus superiora, & efficit arcum, qui incipit sub rene dextro, & postea iterum ascendit a rene dicto, cui ope parvi ligamenti, dictum LIGAMENTUM TRANSVERSALE DEXTRUM, adhæret, quodque a lamina peritonæi formatum; postea transgreditur sub vesiculam felleam, (quæque pars hujus intestini ideo etiam colore luteo est colorata) & partem anteriorem primæ curvaturæ duodenii

duodenii (§. 4.), quamque tegit (§. 4.), & illi adhæret. Ab hac iterum ascensit, & format magnum arcum, qui est pars mobilissima hujus intestini, quia tantummodo ibi est annexa membranæ cuidam transversali, cui nomen est mesocoli: Hicce arcus sub magna curvatura ventriculi (princ. anat.) progredivit ad hypochondrium sinistrum; ab hoc iterum descendit ad renem sinistrum, cui itidem annexum est, interveniente ligamento quodam, quod TRANSVERSALE SINISTRUM COLI nuncupatur; denique autem progredivit ad vertebraes, atque ibidem duas format curvaturas, quæ figuram literæ romanæ S. repræsentant; quæque totidem ligamentis parvis sunt præditæ, quæ intestinum hocce ad latus dextrum & sinistrum regionis lumbaris annexunt. Ligamentis quoque tribus, secundum longitudinem intestini decurrentibus, quæ in processu vermiciformi (§. 12.) datum suum absolvunt, dotatum est. Horum ligamentorum primum distincte potest conspici, & nominatur LIGAMENTUM MAGNUM aut LATUM COLI, situmque suum habet ad partem inferiorem hujus intestini. Alterum ligamentum dicitur EPIPLOICUM, & positum est ad partem superiorem hujus intestini, atque conjungitur cum epiploo. Tertium ligamentum nominatur MESOCOLICUM, & reperitur in parte posteriori, connexionemque fovet cum mesocolo. Hæc vero ligamenta nil aliud sunt, quam fibræ longitudinales & musculares. Nam si tunica externa, qua circumdatum est colon, discinditur, & hæcce tunica abraditur, exhibita quadam diligentia, fibræ longitudinales in

E

liga-

Ligamento reperiundæ oculis fistuntur. Parti autem externæ hujus intestini multæ appendices adiposæ adhærent, quæque inserviunt lubricationi hujus intestini, & a quibusdam vocantur omenta parva. (GARENGEOT. l.c. p.177). Longitudo ejus quandoque respondet quinque, quandoque etiam septem spithamis, & amplitudo ejus & robur præferenda sunt omnium reliquorum intestinorum robori atque amplitudini. Ultimo denique loco mentio etiam injicienda est valvularum sic dictarum conniventium, in hoc quidem intestino maxima-
rum. (HEISTERI *Compend. Anat.* p. 80).

§. XIV.

Rectum denique est ultimum canalis hujus intestini, quodque non ideo dici meretur rectum, quoniam, prout quidam tradunt, recta via suum tenet cursum, sed quia non tot circumgyrations & curvaturas efformat, quot reliqua intestina: Nam alias excrementis facile remora posset injici. Principium ejus collatum est ad ultimam lumborum vertebram, & ad summum ossis sacri, quibus mediante ligamento membranaceo annexum est. Pars inferior & ultima hujus intestini constituit anum; quo loco finis illius est statuendus, quique annexus est ossi coccygis. Circa hujus ambitum multæ observantur lacunæ, in quarum cavitate secernitur liquor quidam pinguis, qui acredinem, & attritionem induratorum excrementorum arcet. Longitudo ejus est palmarum circiter duarum; latitudo vero trium digitorum. Tunicarum structura est carnosissima & robustissima. Tribus præterea gaudet muscu-

musculis, sphinctere uno, duobus elevatoribus, valvulisque non eo luxuriat modo, quo colon, sed tantummodo rugis levioribus.

§. XV

Consideratis itaque singulis intestinis secundum ordinem, qui illis est naturalis, proximum jam est, ut mentem ac cogitationes in membranas sive tunicas ilorum dirigamus.

§. XVI.

Harum numerum quidam circumscribunt numeris quatuor; quidam vero quinque; sex alii computant. Qui primam illam fovent sententiam, numerant 1) Tunicam externam sive communem, 2) Musculosam, 3) Nervam, 4) Villosum. Qui vero alteri sunt addicti opinioni, adhuc addunt tunicam cellulosam RUY SCHII (§. 18.), & tunicam novam cellulosam ALBINI (§. 21). Ne vero quid in historia intestinorum omisisse videar, singulas hæc tunicas ordine enumerabo.

§. XVII.

Tunica prima, qua intestina sunt dotata, est continuatio mesenterii (§. 32.). Circa hanc vero observandum, quod non intestina omnimode circumdet, sed laminæ duæ, ex quibus constructum est mesenterium, quando ad intestinum accedunt, disjungantur, efficiant interstitium, & coëant in arcu intestini majori, qui adhæsioni mesenterii est ex opposito, atque ita circumdant intestinum, & tunicam illorum primam constituant. Hæc vero veritate esse consentanea, evincitur experimento. Quod si parti cuidam mesenterii, non

longo interjecto spatio, in illo loco, quo cum intestino cohæret, levius foramen incidatur, tubulusque hocce in foramen immittatur, atque fatus versus intestinum pellatur, fatus quidem superficiem externam intestinorum transgreditur, & simul replet hanc substratam tunicam cellulosam Ruysschii (§. 18). Ad arcum vero minorem intestinorum, quique adhæsioni mensenterii est oppositus, fatus non penetrat, tunicaque cellulosa Ruysschii flatu non distenditur, quia ibidem tunica musculosa (§. 19.) cum tunica prima arctissime cohæret. Non autem est silentio prætereundum, mesenterium tantummodo tunicam primam largiri parti cuidam duodeni (§. 4.) toti jejunio (§. 6.), atque ileo (§. 8.); colon vero (§. 13.) & rectum (§. 14.) tunicam suam primam sortiri non solum a mesocolo & mesorecto, sed etiam a peritonæo, quia colon auxilio peritonæi parietes abdominis, rectum vero os sacrum attingit (§. 14.).

§. XVIII.

In §. præcedenti in medium protuli experimentum, quod inserviebat illustrandæ sententiae, tunicam primam intestinorum non totam circumire intestinum, simulque mentionem injeci, fatum etiam penetrare & replere tunicam cellulosam Ruysschii. Verum aliud adhuc suppetit experimentum, ad præsentiam hujus tunicæ demonstrandam. Immittatur tubulus in illum locum, quo ambae laminæ mesenterii ad intestinum accedunt, & fatus in illum promoveatur, patebit, tunicam cellulosam inter tunicam externam (§. 17.), & musculosam (§. 19.) flatu amplificari & attolli; præsertim eo

eo in loco, qui insertioni intestini est in contrarium. Hæcce tunica vero decrescit in arcu minori intestini, atque ibidem tunica cellulosa cum musculosa arcta est connexa (§. 17). Idem modus (anteced.) etiam adhiberi potest, ad tunicam cellulosam in intestinis crassis detegendam; si sc. tubulus inferatur, illi loco, quo mesocolon cum intestino colo cohæret, oreque ventus in illo excitetur, tunc simili modo flatus attollet tunicam illorum cellulosam. Flatus vero non totam permeat peripheriam hujus intestini, sed subsistit circa ligamenta hujus intestini, (§. 13.) quia cum hisce ligamentis tunica externa & musculosa arctissime concreverunt. Atque hæc tunica insignitur, nomine tunicæ cellulose RUYSCII.

SCHOLION.

Ingressi equidem sunt nonnulli hancce in sententiam, ac si tunica cellulosa RUYSCII nulla vera esset tunica, sed tantummodo substantia quadam cellulosa, quæ sit composita ex fibris & cellulis, ut lamina externa peritonei, & lamina intermedia mesenterii, membranaque adiposa cutis (GARENGEOT. l. c. p. 164. & 165. CASSEBOHMII Method. secand.) Verum, quia usus loquendi nomen hujus substantiae cellulæ jain imperavit, ego ab hoc recedere nolui.

§. XIX.

Tunica tertia, qua intestina sunt circumsepta, est Tunica musculosa, quæ constructa est dupli stratu fibrarum, muscularium & carnearum. Superior stratum sunt fibræ longitudinales, inferior vero fibræ circulares. Prioris sunt valde tenues, & admodum difficili modo visui offeruntur; atque juxta longitudinem intestinorum decurrunt. Est vero cursus eorum non

E 3

perpe-

perpetuus in tractu intestinorum, sed huc & illuc desinunt, quo facto, denuo fibræ quædam incipiunt. Postiores sunt crassiores, & facilius conspectui offeruntur, quam priores. Verum non circumеunt intestinum in modum circuli, sed tantummodo segmenta circuli constituant, atque eo in loco, quo fibræ quædam desinunt, ortus novarum fibrarum offenditur, & hocce modo videntur, circuli instar peripheriam intestini efficere.

§. XX.

Tunica quarta, quæ compositioni intestinorum inservit, est Tunica sic dicta nervea; (quidam contendunt, esse potius tendineam sive aponevroticam nuncupandam, (GARENGEOT l. c. p. 165.); quæque constructa est ex congerie alborum, durorum, & aliquali robore instructorum filamentorum, decussatim & oblique cursum suum ducentium, eodem, quo pannus lintearius modo, qui ita est dissectus, ut filamenta ejus situm obtineant obliquum. Longitudine & capacitate circuitus antecedit præcedentes intestinorum tunicas; nam si intestinum quoddam flatu est distentum, & tunica musculosa (§. 19.), mediante acie cultri anatomici, leviori tantum vi abraditur, statim in conspectum procedit hæcce tunica, distenditur, atque tanquam foccus prominet in superficie externa intestini. Superficies illius externa est levis ac plana, interna vero efformat productiones, quæ concurrunt ad formandas rugas sive valvulas conniventes sic dictas tunicas villosæ (§. 22.).

§. XXI.

§. XXI.

Inter nerveam (§. 20.) & villosam (§. 22.) tam intestinorum tenuium, quam crassorum, reperitur substantia quædam cellulosa, cuius princeps fuit auctor Celeb. ALBINUS, flatu detegenda, quæque ideo nomen gerit tunicae cellulosa ALBINI. Verum enim vero officii mei ratio jam non permittit, inquirere, num huic substantiæ juste indatur nomen tunicae cellulosa, ceu potius substantiæ cellulosa. Quin potius L. B. ablego ad ALBINI Disputationem: *nova intestinorum tenuium descriptio*, HEISTERI Compend. Anat. P. II. p. 58. & 59., CASSEBOHMI method. sec.

§. XXII.

Agmen denique tunicarum intestinorum claudit, Tunica villosa, quæ ideo ita appellatur, quia extremitates ultimæ vasorum sanguiferorum in illa prominent, & eo modo juxta se invicem sunt collocatæ, quo filamenta in holoserico, uti hæc optime oculis armatis patent. Nonnulli quidem adstruxerunt, nullam hanc esse veram tunicam, sed tantummodo mucum quendam. Huncce errorem vero tam RUY SCHIUS in Epistolis problematicis, tum etiam experientia, reddiderunt inanem atque irritum. Longitudine & majori diametro est prædicta, quam tunica externa & musculosa, atque vi horum simul cum nerva efficit rugas, sive valvulas sic dictas conniventis; de quibus vero valvulis, earumque constructione, jam disputatum est, (§. 5. Schol.) & præterea adhuc instructa est glanduli diversis

diversi generis; harum vero mentio etiam jam est facta in recensione singulorum intestinorum.

§. XXIII.

Vasis tot copiosissimis sanguiferis, quot pars reliqua solida corporis humani, intestina, tam arteriosis, quam venosis, sunt instructa. Hocque experientia suo suffragio comprobat firmissime, in portione intestini injecti. Nam si in intestino quodam, vasa illius sanguifera, adhibito studio summo, & liquore quodam, qui valet penetrare angustissimos arteriarum & venarum ductus, replentur, nullus pene conspiciendus erit locus, in quo non sint vasa, tali liquore adimpta. Et quidem PRIMO ad intestina se diffundunt, praesertim vero tenuia, arteriae mesentericae superiores, quarum truncus oritur paululum supra arterias emulgentes, ab aorta, & duplicatam mesenterii tunicam perreptando, ad duodenum, jejunum, coecum & colon feruntur. Antequam vero illa attingunt, diversi ejus rami singuli formant quasi arcum, a quo ulterius surculi innumeri per intestina distribuuntur. Intestinum vero duodenum hoc sibi peculiare vindicat, ut simul etiam ramus ab arteria celiaca ad illud progrediatur. Deinde intestina, in primis crassa, arterias suas debent arteriis mesentericis inferioribus, quarum truncus ab imo fine arteriae magnae, ortum suum trahit; atque insuper ad rectum etiam protendunt rami arteriosi, qui ab arteriis hypogastricis eo abeunt; & dicuntur arteriae haemorrhoidales externae, ad differentiam scilicet illarum, quae ab arteria mesenterica inferiori ad illud pro-

procedunt; & nomen arteriarum hæmorrhoidalium internarum fortuntur. Venæ, tendentes ad intestina, eodem, quo arteriæ, gaudent nomine: Et quidem dicuntur venæ meseraicæ superiores, atque inferiores, quæ a dextro ramo venæ portæ oriuntur, & arteriarum meseraicarum sunt comites, illisque accumbunt. Intestinum vero duodenum, peculiari vena est præditum, dicta duodenica, a trunco venæ portæ oriunda; Sic ut & rectum peculiares habet venas, quæ nominantur venæ hæmorrhoidales externæ, quæque aliquando a Vena portæ, & quidem ejus ramo dextro, saepius sinistro, aut circa illius divisionem abscedunt. (VERHEYEN Anat. Corp. Human. p. m. 92). Hæc vasa omnia tam arteriosa, quam venosa, mirabili artificio inter se conjunguntur. (KULMI Tab. Anat. p. 19, ALBINI Difser. de arteriis & venis intestinorum.) Præterea vero adhuc notandum, quod copia ramorum, quæ ab arteria meseraica superiori ad intestina disseminantur tenuia, multo sit major, quam illorum, qui ad intestina crassa ab arteria meseraica inferiori, abeunt.

§. XXIV.

Cum vero in nulla parte solida nostri corporis, sensus & motus possint vigere, nisi nervis sit instructa, (princ. physiol. ut & cap. I. §. 9. schol.) intestinorum vero functiones potissimum motu absolvantur, (cap. I. §. 21. schol. & §. 24.) natura etiam intestinis de nervis debuit prospicere. Idem & evenit, dum nervis variis illa dotavit, qui originem suam fortuntur.) APARIVAGO; Hoc namque per foramen illud, quod formatur in dia-

F

phrag-

phragmate, ab œsophago transit, & circa orificium ventriculi sinistrum, plexum sic dictum stomachicum efformat; a quo plexu rami ad arcum majorem & minorem ventriculi, & intra hujus ambo orificia, dimit-tuntur. In primis vero a parvago lateris dextri ramuli nervei ad pylorum & plexum hepaticum tendunt, at-que sic, quia a plexu hepatico & ganglio nervorum arteriæ cœliacæ formatur plexus mesentericus superior, (n. 2.) par vagum symbolam suam confert ad nervos, qui ad intestina abeunt. 2) a PARI INTERCOSTALI. Hoc cum perforat diaphragma ad latus illius dextrum, in duos ramos dividitur, quorum alter superior, alter inferior appellatur. Ramus superior abit ad arcum arteriæ cœliacæ, & in illam efficit ganglion. Ab hoc ganglio multi ducuntur rami ad sinum venæ portæ, ibidemque constituunt plexum hepaticum. Hoc vero ganglion & plexus hepaticus, multos præbent ramos ortui arteriæ mesentericæ superioris, (§. 23.) & sic formant plexum mesentericum superiorem. A plexu vero hepatico, (anteced.) & ramo inferiori paris intercostalis dextri, oritur plexus renalis dexter. Et hicce plexus situs est circa ortum arteriæ renalis, & suppeditat ramulos, glandulis succenturiatis unius lateris. Plexus autem mesentericus superior, (anteced.) est maximus in abdo-mine, qui cum plexu hepatico, (anteced.) & renali dextro (anteced.), iter suum flectit ad ortum arteriæ me-sentericæ inferioris (§. 23.), ibidemque conficiunt plexum mesentericum inferiorem. Hicce plexus ramos inter-stitiis crassis, & uni e vasis spermaticis, comiti ramo, largi-

largitur. 3) Trahunt iudem suum ortum a NERVIS OS-
SIS SACRI. A plexu etenim mesenterico-inferiori, di-
versi descendunt rami, juxta longitudinem ossis sacri, &
dividuntur ibidem in duas portiones, quarum altera
propius ad latus dextrum, propius altera ad latus fini-
strum est sita. Quando vero ad inferiora progrediun-
tur, illis rami nervei a pari quinto & sexto ossis sacri,
associantur, & producunt plexum, qui super intesti-
num rectum collocatus est; a quo rami ad substantiam
eius penetrant, ac derivantur.

§. XXV.

In tradendo usu, quem intestina exserunt, non ero
prolixior; siquidem is cuique exploratus erit, atque
perspectus. Constat scilicet, ex intestinis hosce quidem
redundare fructus; nempe 1) Concoctionem ciborum,
quaे in ventriculo fuit incepta, ulterius perficiunt. 2)
Secretionem chyli, & faecum absolvunt; illum in vasa
lactea impellunt; has vero ad crassa propellunt, ibi-
dem illas colligunt, &, si necessitas requirit, eliminant.
Hæc omnia absolvuntur motu quodam, qui dicitur
peristalticus; qua ratione autem hic fiat, jam demon-
stratum est (cap. I. §. 21. & schol.)

§. XXVI.

Ut vero promissi religione me exsolvam, (§. 4.) e re
erit, mentem ac cogitationes flectere in illas partes, quæ
intestina circumdant, & suo in finu quasi fovent atque
alunt. Ascopo vero & fine, mihi proposito, aberrarem,
si totam illarum historiam huic loco insererem; sed tan-
tummodo usum illarum, qui ex iis in intestina derivatur,
adducere est animus.

F 2

§. XXVII.

§. XXVII.

DIAPHRAGMA, corpus illud solidum molle, ex tribus musculis, & centro tendineo conflatum, & sterno, costis spuriis, pericardio, mediastino, vertebris, annexum, atque (princ. anat) intestina superius includit thoraci limites ponit ac collocat. Hoc si inspiramus, & pulmones, aëre repleti, expanduntur, cavitasque pectoris major redditur, tum quoad latitudinem, quam efficiunt duo & viginti musculi intercostales externi, duodecim supracostales, & serratus posticus superior; hinc namque musculi sua actione, sternum & costas, excepta prima, quia est immobilis, (princ. anat) quoad partem anteriorem, posteriorem, & parietes laterales, versus superiora trahunt, & ita cavitatem pectoris majorem reddunt; tum etiam quoad longitudinem, & quidem constrictione diaphragmatis; nam illud in inspiratione ex situ suo, quem antea versus pectus habebat concavum, in planum convertitur, & contenta abdominis premit; versus inferiora protrudit, hisque efficit, ut motus contentorum ventriculi, intestinorum, & quæ sunt reliqua, promoveatur, & expulsio fæcum, & urinæ adjuvetur.

§. XXVIII.

MUSCULI ABDOMINALES, exceptis cuticula, cute, & panniculo adiposo, intestina includunt, tam quoad superiora, & juxta longitudinem, quam etiam quoad parietes laterales. Quia autem adhærent sterno, costis & veris, & spuriis, ut & osibus pubis, & innominatis, (princ. anat.) in & exspiratione simul motu quodam afficiuntur, qui

qui insignem spargit usum in intestina, & actionem illorum. Nam si cavitas pectoris in inspiratione major redditur, & diaphragma contenta abdominis premit, (§. 27.) abdomen & musculi abdominales, expanduntur, intestina majus occupant spatium, & versus inferiora protruduntur; dum e contrario, si exspiratio inspirationem suscipit atque subseqvitur, musculi abdominales contrahuntur, contenta abdominis comprimuntur, atque versus superiora ut cedant, minusque occupent spatium, coguntur. Hisce vero duobus motibus, qui vigent in musculis abdominalibus, (anteced) digestio & progressio chyli sublevatur, & excretio fæcum alvina- rum promovetur.

§. XXIX.

Musculos abdominales insequitur PERITONÆUM, quod est membrana expansa, unaque lamina compositum, (GARENGEOT *Splanchnol.* p. 116. & 117., CASSEBOHM method. secand') arteriis & venis, ab epigastricis, mamma- riis, lumbaribus; nervis vero a diaphragmaticis, lum- baribus, ossis sacri, dorsaliibus, originem suam qui du- cunt, instructum; atque cum musculis abdominalibus, & diaphragmate, interveniente substantia quadam cel- lulosa, & cum plerisque visceribus imi ventris conne- xum. Hocce peritonæum varias spargit plicas & cir- cumvolutiones, quæ fiunt, si lamellæ peritonæi qui- busdam in locis sui circuitus, incurvantur, & ad inte- riora reclinantur. Hæque plicæ & circumvolutiones, ejusdem productiones nominantur; e quibus maximus usus, præsertim in intestinis, resultat. Nam ab his ori-

F 3

untur

untur 1) Mesenterium, & hoc intestinis largitur tunica primam (§. 17.) 2). Mesocolon, & 3) Mesorectum; quæ colon & rectum tunica prima dotant. (§. 17.) Porro multa efficit ligamenta parva, quæ intestina cum aliis partibus connectunt; uti 1) illa parva ligamenta, quæ colon cum renibus conjungunt; (§. 13.) 2) parvum ligamentum, quod colon pancreati annectit, 3) parvum ligamentum, quod principium duodenii ad hepar, & quidem ad radicem lobi sic dicti Spigelii, adnectit. Denique vero peritonæum continet & includit contenta abdominis, præsertim intestina, ne sua e sede, & situ naturali, illis qui est, removeantur.

§. XXX.

Proximum, intestinis incumbens corpus solidum molle, est EPIPLOON, sive OMENTUM. Est hoc compositum, quamvis magnam præ se ferat tenuitatem, ex duabus valde tenuibus membranis; quæ substantia quadam cellulosa inter se conjunguntur, atque flatu, opera facili deteguntur. Multis striis adiposis, arteriis epiploicis dictis, quæque ab arteria cœliaca ad illud feruntur, venis ejusdem nominis, a vena portæ, in primis a ramo splenico oriundis; nervis a pari vago, & intercostali ad illud dimissis, luxuriat. Duplex in corpore humano epiploon reperitur; magnum scilicet, atque parvum. Prius jam longo interjecto temporis spatio, in scholis Anatomicorum demonstratum est, cuius margo superior, secundum totam illius longitudinem annectitur arcui majori ventriculi, intestino duodeno, et lioni; posterior vero connexa est cum arcubus coli (§. 13.) & pan-

& pancreate, denique inferior libera est, & fluctuat quasi in abdomen. Extenditur plerumque tantummodo usque ad umbilicum; interdum vero etiam partem inferiorem abdominis occupat. Parvum quidem epiploon, ardens studium WINSLOVII, Anatomici Parisini, detexit, quodque reperitur inter arcum minorem ventriculi, & partem concavam hepatis, atque ab illo prograditur usque ad hepar, & quidem eminentiam illam, quæ est radix lobi Spigelii, cum qua ibidem cohæret, & quoad omnes proprietates cum priori convenit; (GARENGEOT *Splanchnol.* p. 137. & 138). Intestinis vero hosce usus suggerit omentum dictum magnum, ut intestina potissimum tenuia tegat, motui intestinorum inferviat, illa ope striarum adiposarum (anteced.) lubricet, ne illa a continuo motu, & pressione muscularum abdominalium (§. 28.) atterantur, & exinde inflammatio prollulet, nec denique frigus intestinis damnum inferat.

S. XXXI.

Partium, in abdomen contentarum, cum quibus intestina conjunguntur, in descriptione singulorum intestinorum mentio jamjam est facta. Reliquum nunc erit, ut connexionem eorundem cum mesenterio, mesocolo & mesorecto, exponamus.

§. XXXII.

MESENTERIUM, quod locum sibi vindicat majores inter productiones peritonæi, (§. 29.) dupli lamina constat; quæ ope substantiæ cellulolæ cohærent. Illud quidem quoad partem superiorem cum tribus superioribus vertebris lumborum; quoad partem vero in-

feri-

feriorem cum intestinis, præsertim jejunio & ileo, est connexum. Vasis languiferis iisdem gaudet cum intestinis, arteriis scilicet ac venis mesentericis, ut & nervis, a pari vago & intercostali, originem ducentibus. Vasa vero, quæ in mesenterio adfunt, sanguifera, diversos efficiunt arcus, qui in mesenterio sunt simplices, in canali vero, qui intestina circumdat & includit, duplices, quorum alter decurrit ad unum; alter ad alterum intestini latus. Præterea multa vasa lymphatica & lactea, ut & glandulæ, in mesenterio adfunt: In his liquidum secernitur, quod chylo illas tanseunti, affunditur, ut ille diluatur, & major copia fluidi illi concilietur (princ. physiol). Vasa autem lactea & lymphatica chylum & lympham ad cisternam, sive receptaculum chyli, deducunt. Pars illa, quæ intestino colo est annexa, dicitur mesocolon: Nam si colon provida manu attollitur, illo in loco, quo sub arcu majori ventriculi decurrit, videre est, intestinum hocce annexum esse membranæ cuidam transversali, quæ quasi separat ventriculum ab intestinis. Et hæc transversalis membrana est, quæ dicitur mesocolon. Illa vero pars hujus mesocoli, quæ abit ad latus sinistrum, nomen gerit alæ sinistre mesocoli: Quando reclinatur ad latus dextrum, progreditur sub intestinum rectum, formatque ibidem ligamentum, quod Anatomici nomine mesorecti insigniverunt. Quomodo vero fiat, ut hæc intestinis tunicam primam concedant, jam docui in præcedentibus. Usus denique harum partium in eo consistit, ut suspendant, colligant, & in situ suo retineant intestina, illorumque vasa lactea & sanguifera sustentent. (HEISTERI *Compend. Anatomi. p. 83.*)

Cap. III.

CAP. III,

*Continens Historicam morbi expositionem,
adjectamque ejusdem Resolutionem.*

MEMBR. I.

Vir quidam in Rugia, qui triginta & quinque annos expleverat, corpore laborabat scorbutico - cachectico. Matrimonio contracto, iex intra annorum spatium mole quidem corporis valde augebatur, semper tamen insirmior ac dubia usus valetudine; in primis vero malo sic dicto hypochondriaco vexatus. Integro illum sanitatis statu vigentem ac florentem, lac, atque cibi ex lacte confechi, mira adeo eum perfundebant jucunditate, ut tempore diurno & nocturno, hemicalli & effuso, nullum aliud ciborum, ac potionum genus, quam lac acidum, dulce, crassum, reliqua, ceperit, hauseritque, omni cerevisiae & aquae usu totam per astatem intermissio. Est autem minime prætereundum, quod vir hicce, si in loco commoraretur alieno, nec lac statim ejus appetientia esset promptum ac paratum, graviter fit adfectus, quid? quod animo linqueretur. Alias vero ejus ratio videndi ad regulas parum fuit adstricta, durumque & acidum ciborum genus in deliciis ei erat quam maximis.

MEMBR. II. Ante quatuor tunc temporis annos elapsos, sensit tumores circa umbilicum duros, qui singulos in annos, mole & magnitudine increverunt; insimul quoque his erant complicati dolores & pedes œdematosi.

MEMBR. III. Anno saeculi hujus XXXV., opem in fonte Sagardensi sitam esse, sibi persuadebat, inque auxiliij partes assumentebat Elixirum quoddam viscerale, quod compositum erat ex amaris extractis, & medicamentis, balsamica virtute gaudentibus, vique menstrui aquosu & liquoris terræ foliatæ, in substantiam fluidam quod erat redactum. Quo adhibito, erat ipsi meliuscule, sanitasque, vacillans hactenus, quodammodo redibat.

G

MEMBR.

MEMBR. IV. Anno MDCCXXXVI., mense Januarii, diarrhoea quadam maligna putrida adfligebatur, cuius tamen cura tangebatur exigua, quin potius, ea durante, itineri glaciali, in spatia trium milliarium extenso, amicorum visendorum gratia, fese committebat. Enimvero quadam in causa, summo animi exardescet dolore, hisque irarum stimulis adhuc agitatus, cibum capiebat.

MEMBR. V. Omnia autem circumspicienti optime videbatur, domum reverti. Dies agebatur XXVIII. Januarii, quo praecordiorum angustiae, ructus ventriculi; ardor ac spasmi, sinistri lateris, eum infestabant. Alitus effluebat largius, ac materia ejecta, colorem præ se ferens fulcum, factorem spargebat teterimum. Somno fungebatur inquieto, & turbato admodum, stomacho erat obtuso.

MEMBR. VI. Symptomata hæc secutis oppugnabantur medicamentis, Conch. citr. antimon. diaph. nitro; rhabarb. camph. item, elixir. visceral., de quo (Membr. 3.) mentio facta est, cum liquore anodino minerali illustr. HOFFMANNI. Vices potus ordinarii decoctum C. C. citratum subibat ac sustinebat.

MEMBR. VII. Quæ adhibita vim morbi levabant quidem: Spasmi tamen & dolores coli, non habebant ab illis medicinam, linimentumque sufficiens. Missus vero sanguis vim quandam habebat ad stimulos doloris acutissimi aliquantulum frangendos, ac contundendos.

MEMBR. VIII. Agrotus vero, firmæ valetudinis opinione sedatus, aëri maturius, quam pat erat, fese subjiciebat nebuloso frigido & humido. Quare secuta nocte dolores ilsi vires iterum colligebant, & in latus sinistrum insultus comparabant atque influebant vehementiores, ut salus ipsius conclamata esse videretur. Diarrhoea furor saeviebat adeo, ut omni fere momento alvum depонere cogeretur; passus præterea dolores latere in sinistro vix ferendos, ut iis videretur disrumpendus.

MEMBR. IX. Symptomata hæc usu medicamentorum, statui morbi servientium, in primis autem injectione clysteris, e lacte & oleo confecti, crebriori sensum mitigabantur. Diarrhoeæ autem putridæ biliosa impetus non poterant omnino fisti, ac retardari, licet facti essent remissiores. Ex quibus spes instaurandæ sanitatis adfulgebat; somnus quoque fractum agrotum reficiebat; dolores compescabantur, stomachusque

chusque illi excitabatur. Vi igitur morbi per dies octo laxata, intraque hoc temporis intervallum & elixirio illo viscerali, cuius commemoratione membro tertio est instituta, assunto, animus ejus denuo ira exæstuabat. Quo facto, ea, quæ diximus symptomata, non acriori solum & vivaciore incursione in ægrotum ruebant, sed ille quoque viginti quatuor horarum spatio, quatuordecies epilepsia tentabatur. Intestinorum spasmi convulsivi furorem suum effundebant adeo, ut ne ad temporis quidem spatium hi refrenarentur; sed totus faciei habitus conversus, a statu recederet naturali, regio ossis frontis, nasus, manus & pedes, indolem veluti glaciei induerent, ac sudor frigidus, cunctas regiones corporis invaderet. Quæ omnia lipothymiae fortes comitabantur.

MEMBR. X. Hac in fortuna inclinata & prope jacente, ægrotus per dies quinque versabatur. Remediis, conditioni morbi congruis, tam internis, quam externis, clysteribus autem quam maxime adhibitis, spasmodorum vis quidem labefactabatur: Diarrœa autem vim medicamentorum omnem eludebat.

MEMBR. XI. Die, qui erat primus Martii, dolores immanes in latus ægroti finistrum graflabantur, & partem quandam intestini excratabant. Qua cum excretione conjunctus erat factus gravissimus, & fluxus materia tenuis, badie coloris, (Braunroth) speciem præbentis, factoremque pariter putridum reddentis. Quatuor postquam dies effluxerant, denuo dolores, vix ferendos, perpestus, filaments emittebat intestinorum, putredine corruptorum.

MEMBR. XII. His peractis, dolores sedati erant ac disculti, ægrotusque e morbo isto ancipiti evasisse videbatur, atque alvus semper erat soluta.

MEMBR. XIII. Pars intestini excreti, uti e responso magnifici & gratiosi Ordinis Medicorum Gryphiswaldensium didici, hunc quidem in modum comparata erat, atque constituta. Conficienda exhibebantur tunica infulculosa, & in hac præcipue annulares offerebantur fibrae, cum interjectis vasis sanguiferis. In parte interiori hujus portionis intestini excreti, copiose deprehendebantur valvulae conniventes, nec non multæ glandulæ miliares. Lateri vero hujus intestini excreti quædam mesenterii portio adhærebat.

§. I.

Multa certe sunt in hoc casu comprehensa, de quibus omnibus si verba essent facturus; illaque vellem collocare in loco clariori atque illustriori, hæc præsentis operis particula velut formam mei propositi esset excessura. Pauca itaque tantum, prout fert instituti mei ratio, ex hoc casu depromemus, ex quibus natura & indoles morbi, quo cum conficitatus est ægrotus noster, possit declarari.

§. II.

De hoc quidem omnes inter Medicos, qui suadent, cuncta cum ratione esse peragenda, convenient, illum, qui morbum quandam expositorus est, ante omnia mentem atque oculos debere dirigere in causas, quæ morbum produxerint, & signa, ex quibus genius morbi possit cognosci.

§. III.

Si autem causas & signa hujus morbi plenius atque aperi-
tius intueor, mihi habeo persuasissimum, illum fuisse inflammatorium, & stasi sanguinis in arteriis minimis intestinorum, illarumque erosioni ortum suum debuisse.

§. IV.

Ut vero omnia eo melius pateant, priusquam causas & signa hujus morbi vocem sub examen, necessarium mihi videtur, illa, quæ in scholis Medicorum de Inflammationibus, earundemque proprietatibus in genere docentur, hoc loco proposuisse.

§. V.

Obstructio est sublata permeabilitas canalis aut vasis cuiusdam, a fluido quodam, in illo subsistente, exorta.

SCHOLION.

Hæc obstrucțio potissimum in vasis minimis, illaque producitur ab omnibus, quæ vasa externe comprimunt, ut tumores scirrhosi & plethorici, cetera (BOERHAVE in *Apborismis* §. 112.) nimia porro visciditas & crassities sanguinis atque humorum, in corpore humano obviorum, nimia laxitas vasis. Plethora. Adeantur BOERHAVII *Apborism. Sectione de Obstructione.*

§. VI.

§. VI.

Stasis est talis sublatus circuitus sanguinis, in ultimis extremitatibus arteriarum, & vasis capillaribus, cuius effectu equidem motu progressivo sanguis orbatur, ideoque ad venas non potest transire, attamen partes ibidem sanguinis subsistentes, juxta se invicem adhuc moventur, atteruntur, & ita in motu intestino perseverant.

SCHOLION I.

Hæc ultima differentiam constitutum inter stasin, stagnationem & scirrum. Patet scilicet e (§. 6.), sanguini, stasin in arteriis minimis efficienti, adhuc inesse motum quendam intestinum, & attritum partium ibidem subsistentium inter se; Verum stagnatio alio modo est comparata. Nam si hæc adest, sanguis adhuc, quamvis tardiori motu, movetur ac progreditur; ac saltem in venis habet locum. Unde etiam evenit, ut sanguis in vena tanto gradu accumuletur, ut credideris, in ea sanguinem omnino mode subsistere, quod tamen non contingit, ut experientia in hæmorrhoidibus cæcis illud comprobat. In scirro autem subsistens portio fluidi, nec motu progressivo, nec intestino movetur.

SCHOLION II.

Loci vero, in quibus stases (§. 6.) potissimum sedem suam habent, sunt vasa arteriosa, in primis vero earundem extremitates & vasa capillaria. Arteriæ enim, majori cavitate prædictæ, stasin non facile admittunt, partim ob cavitatem ampliorem, partim etiam ob validum robur, quo instructæ sunt, constringionis (princ. anat. & physiol.). Dum e contrario arteriæ minima extremitates earundem, & vasa capillaria cavitatem adeo angustam obtinent, ut vix unum sanguinis globulum transmittant, (per princ. physiol.) & robur eorum constringionis, longe sit postponendum, robori constringionis arteriarum cavitate majori prædictarum. (princ. anat. & physiol.)

§. VII.

Inflammatio est affluxus sanguinis, statu naturali major, ad vas obstructum, (§. 5.) quiique a stasi sanguinis (§. 6.) originem ducit.

SCHOLION.

E subministrata definitione (§. 7.) manifestum est, me essentiam inflammationis collocare in affluxu sanguinis, statu naturali majori, ad

G 3 arteriam

arterias minimas, earundemque extremitates obstructas: Fontem vero hujus affluxus, in statu sanguinis, in illis offendenda, ponere. Ut vero majorem certitudinem meæ conciliem definitioni, est mihi demonstrandum, quæ ratione fiat, ut affluxus sanguinis præternaturalis essentiam inflammationis constituat, & statim illam producat. Ad prius quod attinet, in hanc vel ideo sum impulsus sententiam, quia omnia, circa inflammationem partis cuiusdam, aut interne, aut externe, occurrentia, comode possunt explicari, pariter ac resolvi. 1) namque evenit, ut ob fortē affluxum sanguinis ad obstructas arterias minimas, earundemque extremitates, harum & vasorum lymphaticorum lateraliū cavitas augeantur, expandantur eademq; sanguine repleantur. Ex quibus tumor ille, qui, inflammationibus est comes, & in inflammationibus externis nudis oculis est conspicieundus, & rubedo dicit originem. Et quamvis tumor ille & rubedo, in inflammationibus plerisque internis externe non observantur; attamen, illas utraque concomitari, rationibus facile posset firmari. Nam si tantummodo contemplaris cadaver hominis, inflammatione quadam interna demortui, invenies, tumorem satis magnum in loco, inflammationi obnoxius qui fuit; arteriasque minimas sanguine repletas, atque distentas, coloreque nigro tinctas, qui sine dubio primis inflammationis diebus fuit rubeus. 2) Si vasorum cavitas ab appulsa fortiori sanguinis amplificatur, fibræ nervæ illorū, & circumiacentium partium expanduntur, ex qua expansione enascitur **DOLOR**, quique est pulsatilis, quia expansio iactu cordis & arteriarum semper augetur. 3) Quia autem omnia solida corporis nostri [Cap. I. §. II. & Schol.], adeoque & arteriæ minimæ pollent tono, evenit, ut, quo plus arteriæ ab irruenti sanguine expanduntur, eo majori gradu iterum confringant, & quia hæc constrictione partes sanguinis valide moventur, & atteruntur, sensus quidam **ARDORIS** in loco & parte affecta percipitur. 4) Quo diutius vero affluxus inflammatorius sanguinis perdurat, & quo plus vasa circumiacentia sanguifera arterioſa minima sanguine replentur, eo magis subjacentia vasa comprimuntur, novæque states & obstructiones generantur. Ex quibus potest explicari, quare interjecto brevi temporis spatio, inflammations tantum valeant capere augmentum. Cum vero rubedo, ardor & dolor, signa sunt

sint præcipua, ex quibus inflammatio possit cognosci, hisce quidem major lux accenditur, & certitudine quadam rationes eorundem reddi possunt, si statuimus, præcipuum momentum inflammationis statuendum esse in affluxu præternaturali sanguinis ad vas quoddam obstrutum (per anteced.) ; ex his igitur, que in primis definitionis verbis (§. 7.) sunt adstructa, lumen clarius sortientur. Verum porro dispi ciendum erit, quo modo stasis (§. 6.) affluxum sanguinis majorem, huncce quidem in modum, excitet. Sub unaquaque constrictione cordis, nova portio sanguinis impellitur, ad quamlibet arteriam, (princ. physiol.) adeoque etiam ad obstrutam ; per hanc non potest penetrare, ob stasis sanguinis jam factam ; retrore ac recedere etiam non valet, quia vasa sanguifera omni tempore plena sunt sanguine, (princ. physiol.) adeoque impellitur versus ibidem jam jam subsistente sanguinis portionem, & ad illam accumulatur. Hæc iterum accidunt, nova existente contractione cordis, & haec subsistentes partes portionis sanguinis in continuo motu inter se conservantur, nec sejungi ac putredine corripi possunt ; Si hoc saepius evenit, impulsus sanguinis quodammodo repellitur, & per hanc repulsionem sanguini reliquo usque ad cor fortis resistentia imprimitur ; In legibus vero vita est stabilitum, ut, quo majori vi sanguis ad cor appellitur, eo majori vi a corde iterum propellantur, & ad illum locum, cui adest resistentia, feratur ; Hæc vero deprehenditur in arteria minima, in qua stasis adest ; Ergo hæc stasis affluxum sanguinis majorem sive inflammationem reddit.

§. VIII.

Hæc in scholio dicta possum accidere in arteriis minimis earundem extremitibus, vel in vasis lymphaticis arteriosis, dilatatis osculis, admisitos globulos rubros, per nos transmittere non valentibus, (BOERHAVE in Aphor. §. 372).

§. IX.

Adeoque subjectum inflammationum, quis nulla pars solidâ in corpore humano est obvia, in qua non arteriæ, tam majores, quam minimæ, ut & arteriæ reperiuntur lymphaticæ ; (cap. i. §. 10. & schol.) : sunt omnes partes solidæ corporis humani, musculi, ossa, tendines, glandulæ, viscera omnia, reliqua.

§. X.

§. X.

Cause itaque inflammationum erunt omnia, quae transi-
tum sanguinis per arterias minimas, retardant; atque in illis
obstructionem & stasis gignunt.

§. XI.

Debent ad has referri: 1) Omnes cause obstructionum [§. 5.]
& staseos (§. 9.); praeter naturalis scilicet spissitudo s. crassities,
& impuritas sanguinis & humorum, quae obstant, quo minus
possint permeare angusta vasa; qualia arteriae sunt minime &
extremitates illarum. Quare in illis coherent & subsistunt. Ple-
thorae hinc, cachectici, scorbutici, facili modo inflammationi-
bus, tum internis, tum externis vexantur (per experient). 2) Spas-
mus. 3) Aucta majori gradu circulatio sanguinis. 4) Frigus, 5.) I-
racundia, 6.) Impulsus materiae acris, ad arterias, quaeque soluti-
onem continui in illis efficere, illasque sauciare possunt.

SCHOLION.

Sunt equidem adhuc aliae cause, quae inflammationem excitare
valent, de quibus sunt consulendi libri Practicorum. Praesertim vero
adeundus BOERHAVIUS in *Aphorism. de Cognosc. & curand. morb.*
§. 375. ad 379. Verum enim vero, quia haec cause ad presentem morbum
enodandum nil conferre videntur, illis quidem recentidis supersedebo.

§. XII.

Rationes vero, cur cause in (§. II.) adductae, in numerum
causarum inflammationum sint referendae, jam non reddam
manifestas, illas in causa, inflammationi, nostrum quae adflicxit
negrotum, ansam praebuerunt, conjecturus.

§. XIII.

Cognoscitur inflammatio partis ejusdem internae, pre-
cipue ex dolore, ardore, somno inquieto & tubrato, sive vigi-
liis, febri conjuncta acuta continua, siti, pulsu duro, celeri &
frequenti. (princ. pathol.).

SCHOLION.

Ardoris & doloris, quae inflammationum sunt comites, rationes
jam exposui (§. 7.). Reliqua vero originem trahunt a fibris irritatis, &
sanguine, celerius per vasa acto. (BOERRHAVE l.c. §. 387.)

§. XIV.

§. XIV.

Ad finem denique perducuntur inflammationes, dum aut discutitur & resolvitur sanguis, stasis qui concipit; id quod contingit quarto, ad summum, septimo die; aut suppuratur, aut desiccatur in scirrum; aut abit in gangrenam & sphacelum (princ. pathol.).

SCHOLION.

Causas, & signa (§. 14.) dictorum, inferius, cum de exitu hujus morbi, verba sunt facienda, pluribus discutiam.

§. XV.

Atque haec sunt, quæ de inflammationibus, earundemque proprietatibus tradenda, instituti ratio effigitavit. Proximum jam erit, ut mentem ac cogitationes dirigam in expositionem morbi, qui ægrotum nostrum detinuit, atque afflixit; quo illa, quæ in [§. 3.] proposui, majori robore sece tueantur. In primis autem erit ostendendum, intestina posse corripi inflammatione,

§. XVI.

In [§. 6. Schol.] argumenta protuli, quæ evincunt, locum staseos esse arterias minimas, earundem extremitates, & vasa capillaria. Subjectum vero inflammationum esse omnem partem solidam corporis humani, quæ gaudet arteriis, tum majoribus, tum minimis, [§. 8.] dedi comprobatum. Cum autem intestina sint partes solidæ corporis humani, quæ magno numero arteriarum, & majorum, & minimarum instructæ sunt, [Cap. II § 22.] prætereaque arteriæ illæ, quæ ad intestina aibeunt, illaque attingunt, & in substantiam tunicarum, illa constitutum, penetrant, tam sint exiles, ut vix stilum tenerrimum admittant; (princ. anat.) exinde potest facilissime reddi ratio, cur intestina inflammatione possint corripi. Nam quo minor rem magnitudinem arteriæ præ se ferunt, quæ ad partem aliquam fleantur; eo facilius in illis obstructio, [§. 5.] & stasis, [§. 6.] potest contingere; quo facilius haec accidunt, eo major sit effluxus sanguinis ad obstrutas, & stasi sanguinis plenas, arterias [§. 7. Schol.]. Si autem major sit effluxus sanguinis ad

H

obstru-

obstructas arterias, & fistulas, quæ in illis hospitatur, oritur inflammatio (§. 7. Schol.). Sunt hæc, quæ ratio de periculo inflammationis intestinorum subministrat.

§. XVII.

Experientia pariter intestinorum inflammationem edocuit, uti legitur relatum in Libris illorum, qui historias morborum literis tradiderunt. Utramque hic faciunt paginam, FORESTI *Obser. med.*; GÜLDENKLEE *Casus Medicinales*; HOFFMANNI *Med. system.*; JUNKERI *Conspicetus Therapie*; aliorumque. Est vero præsertim observatum, intestina tenuia frequentissime inflammationis discrimini esse exposita. Consulatur NENTERUS in *Fundam. Med. Theoret. Pract. Tom. I. p. 266.* BOERHAVIUS *I. c. §. 959.* ETTMÜLLERUS in *Epitome totius Medicinae. pag. 613.* Causa autem hujus rei, in eo mihi videtur esse quærenda, quia partim major numerus arteriarum ad intestina tenuia progreditur, quam ad crassâ [Cap. II. §. 22.]: ideoque majori copia sanguis in iisdem potest subsistere; & obstructionem, & fistulas excitat; partim, quia tunicæ intestinorum tenuium, sunt exiliores, quam crassorum [Cap. II. §. 2. Schol.]. Inde & facilius spasmo, & laxitate, statu naturali majori, possunt effici. (princ. pathol.)

§. XVIII.

Argumentis itaque [§. 16. & 17.]; ex experientia, & ratione a me defunctis, quibusque probatur, in intestinis, præsertim tenuibus, inflammationem posse excitari, quilibet assensum præbebit faciliorem, largieturque, hanc longe freqventiorem esse, si adsunt causæ, inflammationi excitandæ aptiores [§. 11.]. Dum vero omnes hæc inflammationum causæ, in ægrotum nostrum vires suas quasi exercuerunt (per conseqv.); nullus plane dubito, quin Lectores benevoli in meam sint ituri sententiam, ægrotum nostrum, morbo laborasse intestinorum inflammatorio.

§. XIX.

Æstatem omni jure ad causas morborum esse referendam, in pathology docetur. Notum namque est, cum unæquoque æstatis termino, diversas morborum species esse conjunctas.

In infantia & pueritia, [quarum prior terminus circumscribitur, ab anno primo ad septimum, alter vero a septimo, usque ad annum decimum quartum, vel decimum septimum] caput magis expositum est morbis. Unde illi, qui in illo termino ætatis constituti sunt, afficiuntur tinæa capitis; defluxionibus aurium & oculorum; hæmorrhagiis narium; cephalalgiis; inflammationibus aurium & oculorum, glandularum capitis, parotidum, & quæ ejusmodi sunt alia. Juventutem, [cujus terminus est ab anno decimo quarto, vel decimo septimo, ad annum trigesimum, & quod excurrit;] comitantur morbi peccatoris, & quidem primis annis hujus ætatis termini, adhuc collum morborum vim sustinere graviorem. Familiaris est illi angina, raucedo, cetera. Progrediente vero hoc termino, peccus ipsum impetus morborum vehementiores experitur. Vexatur namque illud hæmophysi, russi, respiratione difficulti, pleuritide, pthysi, peripneumonia. Ætas virilis, [quæ incipit ab anno trigesimo, & quod excurrit, & progreditur ad annos quinquaginta, & aliquot] abdomen quam maxime, morborum patet insultibus. Hoc namque intervallo, erumpere incipiunt hæmorrhoides, tam cæcæ, quam fluentes; passio hypochondrisca, nephritis, inflammations ceterarum partium, in abdomine contentarum, calculus renum, dolores lumborum, reliqua. In senectute vero, [qui residuum est terminus vitæ] afficiuntur magis extremitates, & partes infirmum locum in abdomine occupantes. Orientur mictus cruentus, ulcera vesicæ, affectus podagrī, arthritici, contracturæ, cetera.

§. XX.

Longius effero progressurus, si omnia argumenta, unde quævis ætas, certos ac statos sibi vindicet morbos, tradita jam ab auctoribus, prolixius exponerem; sed sufficiat mihi in præsenti, unicam saltem, e gravissimis, & ponderissimis, adduxisse rationem. Observationes physicæ nos reddiderunt certiores, incrementum corpori accedere, & omnium primo quidem capiti; hoc namque fieri, posicū est omne extra dubium,

dubium, in homine, tam in utero, quam extra hunc degente. Hominis enim, in uteri ergastulo adhuc inclusi, caput prius; postea pectus, abdomen, & denique extremitates, perficiuntur, ac formantur. (per princ. de generat. animal.) Eodem modo sese habet homo, qui jamjam luci publicæ est expositus. In infantia & pueritia namque, caput ad debitam magnitudinem perducitur; inde etiam tunc temporis epiphyses ossium capitatis, naturam apophysium induere incipiunt; dentes formantur, & mutantur, linguaque aliquodammodo evadit fortior. In juventute, pectus, & partes genitales, ad debitam maturitatem pervenient: Quare etiam tunc evenit, ut vox mutetur; testiculi fecernant semen, & in pube crines erumpant. In ætate denique virili, incrementum abdominis, ejusdemque partium, omnibus numeris absolvitur: Quare etiam in illo termino ætatis constituti homines, maxime autem in abdome, incipiunt pinguedine repleri, corpusque facere.

§. XXI.

Si vero parti cuidam corporis humani incrementum acciderit, major quoque fieri debet effluxus sanguinis & humorum ad illam partem: (princ. physiol.). Quo major itaque fit effluxus, eo majori gradu vasa, & partes, quæ comitantur, dilatationi patent ac relaxatio. His autem dilatatis & relaxatis, sanguis ibidem facilius potest subsistere; (per princ. pathol.) adeoque illo in loco morbos producere, qui obstructionem, & stasin sanguinis, suam referunt originem, quales sunt inflammations.

§. XXII.

E membro primo casus, est apertum ac manifestum, ægrotum nostrum, triginta & quinque annos expleuisse; adeoque fuisse in ætate virili constitutum. (§. 19). In (§. 19) demonstratum est, huic ætati familiares quam maxime esse morbos abdominis. In [§. 20] docui, tunc in primis abdominis incrementum perfici; §. denique [21.] exposui, ob nutritionem, & incrementum tunc temporis majus, majorem fieri

fieri effluxum sanguinis & humorum, ad partes, in abdomine contentas; ideoque facilis ibidem posse subsistere, obstructionemque & stasis efficere; ob relaxationem scilicet, & dilatationem, statu naturali majorem, tum vasorum, tum partis ipsius, quæ incrementum acquirit. Cum autem causæ inflammationum sint, quæ obstructionem & stasis sanguinis in arteriis minimis producant; [§. 9.] has vero efficiant omnia, quæ transitum sanguinis per arteriam minimam retardant [princ. pathol.], hucque præsertim pertineat laxitas vasis, [§. 5. schol.] hæc vero pullulet, ex dilatato plus justo vase, a majori effluxu sanguinis, in hac etate versus abdomen orto [§. 21.]; patet, ægrotum vi etatis, etiam inflammationis intestinorum causam, in corpore suo aluisse.

§. XXIII.

Disputatione graviori ab omni tempore eruditii scorbutum excusserunt, & in utramque partem differuerunt, quemnam morbum accurate loquendo, denotet scorbutum, & quanam in re, essentia ejus sit collocanda. Plurimi inamem hanc speciem animo figurarunt, scorbutum consistere in quantitate nimia particularum salinarum, acrium, & viscidarum in sanguine; originemque potissimum trahere, a cibis salitis, fumo induratis; morbumque esse endemium apud illos, qui mare cingunt Balthicum, sibi persuaseruunt. Enim vero, illos, qui hoc statuunt, a via aberrare recta, BURCHARDI in *Differentiatione de scorbuto, maris baltici accolis non endemio; nec non in Programmate, de scorbuto septentrionalium*, satis superque ostendit. Majori vero certitudine mihi videtur, illorum sententiam posse vindicari, qui putant, scorbutum esse talen statum sanguinis atque humorum, quo mediante, ille abundat particulis sulphureis, ad glcalecentiam, & putredinem pronis; hi vero plus justo viscidiores sunt, & crassiores; unde etiam scorbuticis facile contingunt stases sanguinis inflammatoriae; quæ vero magis ad necrosis tendunt [BURCHARDI *Disp. antea citata p. 10*]. Proabant hoc symptomata, scorbuticis familiaria, uti sunt cruentationes

tationes oris, & ginguivarum, sive stomachace, maculae rubicundæ, livide, aut nigrae crurum, s. scelotyrbe, ut & maculae, & ulceræ scorbutica. Abundantiam vero particularum sulphurearum, ad putredinem & alcalescentiam pronarum, sanguini eorum, scorbuto qui sunt infecti, inesse, probatur, partim ex sanguine, e vena secca emiso, qui colorem praebet summe rubeum, fluiditatemque magnam præ se fert [per experient]; partim etiam ex nocentibus, & juvantibus; dum fuit observatum, optima remedia, qua scorbuti vim valent infringere, esse acida; qualia sunt acetosa, acetosella, succus aurantiorum, limonum, citri. Cum parte ex adversa, illa medicamenta, quæ nomine calidorum in Medicina salutantur, effectum plerumque in curando scorbuto, edant noxiūm: [per princ. pothol]. Unicuique autem, cui vires medicamentorum sunt cognitæ, atque perspectæ, constabit, acida esse optima, quæ copiam particularum sulphurearum in sanguine possunt immunuere, illas obtundere, putredinemque, quæ facili modo oriri inde potest, arcere: Uti & hoc experientia testatur, in morbis omnibus inflammatoriis, quique ex abundantia particularum sulphurearum, in sanguine gignuntur: quales sunt variolæ, morbilli, petechiae, reliqua; in quorum morborum curationem SYDENHAMUS spiritum vitrioli commendavit quam maxime.

§. XXIV.

Adductis itaque argumentis, [§. 23.] quæ evincunt, scorbutum consistere in abundantia particularium sulphurearum in sanguine, ad putredinem pronarum, ejusdemque, & humorum nimia visciditate & crassitie; [§. 23.] patet exinde, scorbuto laborantem, facilime inflammatione partis cujusdam, aut internæ, aut externæ, posse adfligi. Sanguis enim & humores, quo viscidiores sunt, & crassiores, eo difficiliori per vasā, præcipue minima, motu agitantur: Quo majori autem gradu hæc perficiuntur, eo facilius sanguis & humores, in vasis, præcipue minimis, possunt detineri; adeoque statim, obstructionem, & deinceps inflammationem inducere. Habitus vero

vero corporis ægroti nostri fuit scorbuticus (membr. i. casus): quare igitur contingere potuit, ut intestina ejus inflammatione fuerint correpta.

§. XXV.

Cachexia est mala qualitas, & malus habitus, partium carnosarum, & musculosarum externarum, corporis humani. (princ. pathol.)

§. XXVI.

Causa cæchexiæ, est nimia visciditas, & crassities, sanguinis atque humorum, atque inde oboriens stagnatio, sive tardior circulatio, aquosi, viscidæ, & crassi sanguinis in vasis, quæ in integumentis, partim sub epidermide, partim etiam in ipsa cute, suum habent situm.

§. XXVII.

Ægrotus autem noster, cum fuerit cachecticus, (membr. i. eas) sanguine etiam aquoso, crasso, & viscido laborasse sit certum; illas etiam noxæ, quæ ex sanguine crasso & viscido, manant, experiri debuit. Quonam vero modo, ejusmodi sanguis, ad inflammationem inferendam sit aptus, jam edocui in [§. 24].

§. XXVIII.

Nutritionem corporis humani pendere, a tanta quantitate sanguinis, & succi nutritii, quanta ad illam est necessaria, in physiologia docerur. Si autem adest in corpore major quantitas sanguinis, & succi nutritii, quam ad nutritionem corporis requiritur, evenit, ut ex illo secernatur pinguedo, quæ apponitur intersticiis fibrarum, & vesiculis cellulosis (quæque ideo, si referat sunt pinguedine, nomine vesicularum adiposarum insigniuntur [princ. anat.]); atque adeo moles corporis augeatur. Quare etiam illi, qui temperamento gaudent sanguineo, quique præ ceteris, maiorem quantitatem sanguinis aleunt, facilius pinguescent, & molem corporis maiorem gerunt. Quantitas autem maior sanguinis, quam quæ ad nutritionem, & obeundas reliquias functiones partium corporis humani est necessaria, quæque hædit actiones secundum naturam

naturam, dicitur PLETHORA; hancque, inter reliqua, inducunt quantitas ciborum nimia (per princ. pathol.). Cum vero per membrum primum casus sit certum, & grotum mole corporis intra sex annorum spatium valde fuisse auctum; quantitatem ciborum illum excessisse, [§. 40.] semper tamen dubia usum esse valetudine; [membr. i. cas.] consequitur, ut is plethora laboraverit.

§. XXIX.

Est itaque iam explicandum, unde plethora causam inflammationum valeat constituere. 1) Arteriae, si patiuntur dia-stole, plus, quam pars est, dilatantur: Diastole enim arteriarum, originem debet sanguini: [princ. physiol.] Quo major vero quantitas sanguinis in arterias impellitur, eo majori gradu dilatantur; Sanguis autem, quia abundat in plethora, majori copia in arterias irruit, quare haec, ut plus justo dilatentur, necesse est. 2) Systole sive constrictio arteriarum imminuitur. Nam systole sive contractio, pendet ab influxu liquidi nervi, in nervos & fibras, [Cap. I. §. 13. & 14.] ex quibus tunicae arteriarum sunt compositae (Cap. I. §. 10.). Haec tunicae a quantitate nimia sanguinis, quae in arteriis continetur, majori gradu, quam pars est, comprimuntur, ideoque influxus sufficientis quantitatis liquidi nervi impeditur; quo impedito, systole sive contractio arteriarum imminuitur. 3) Vasa in primis arteriae minimae, & laterales, quae ex extremitatibus arteriarum originem nascuntur, plus iugo dilatantur. Nam oriuntur haec intra fibras, ex quibus compositae sunt ac constructae (princ. anat.). Cum vero arteriae in diastole, ultra statum naturalem dilatentur (num. 1.); haec dilatatio nimia, majori debet contingere gradu, in earum extremitatibus, & arteriis lateralibus, quae praeterea minori robore constrictio possunt (§ 6. Schol. 2.): Quo plus haec sunt dilatae, eo majora evadere debent earundem orificia. Quando haec sunt majora, in illa intrant sanguis, & humores crassiores, atque in illis obstructiones, & stases sanguinis, atque humorum efficiunt. 4] Circulatio sanguinis fit tardior, quam in statu naturali;

Nam

Nam cum illa fiat celerior, si in arteriis vigeat constrictio fortior, necessario illa imminuitur, si constrictio arteriarum fuerit imminuta.

§. XXX.

Ex dictis itaque [§. 29.] perspicuum esse potest, quoniam modo contingere possit, ut sanguinis copia atque abundantia, inflammationem excitare, & ita vicem causæ illius sustinere valeat. Namque cum eveniat, ut, si in corpore adfuerit plethora, arteriæ majori gradu, quam in statu naturali, expandantur (num. 1.); hacque nimia expansione systole sive constrictio arteriarum imminuat (n. 2.); extremitates arteriarum, & vasa lateralia plus justo amplientur, & sanguinem & humores crassos exinde in se recipient (n. 3.); & denique tota circulatio sanguinis evadat tardior, (n. 4.) ea, quæ conseqvuntur, inde colligenda sunt. Plus, quam par est, a sanguine dilatatis arteriis, tam majoribus, quam minoribus, & vasis lateralibus; major in illis adeo quantitas sanguinis, quam illis debet inesse: Quantitas vero sanguinis quælibet, qua arteriæ sunt repletæ, ope constrictio illarum iterum est expellenda, & ulterius transferenda (princ. physiol.). Cum vero hæc constrictio sit imminuta in arteriis, vi dilatationis nimia, prætereaque arteriæ minimæ, & vasa lateralia in statu naturali etiam constituta, vegeta constrictione orbata sint (§. 6. Schol. 2.); facile exinde evenit, & evenire potest, ut sanguis in illis valeat subsistere, & obstructionem & stasim producere; Id qvod accidit facilius, si sanguis & humores sunt crassi & viscidæ (§. 24.), tardiorque circulatio sanguinis in corpore persagit.

§. XXXI.

Dum vero ægrotus noster fuit Plethoraicus (§. 28.), & sanguinem & humores crassos, viscidosque in arteriis aluerit (§. 23, 24, 25, 26, 27.); patet ex his, evidentissime, illum inflammationis periculo fuisse obnoxium.

§. XXXII.

Malum hypochondriacum, vulgaris adeo est morbus, u paucos invenias homines conditionis præsertim ditionis, qu

J

non

non impetus ejus, qvamvis sub schemate diversorum morborum debeat sustinere (per experient.). Interim tamen, quamvis hic morbus sit frequentissimus, nihilominus tamen adhuc controversia, circa constituendam essentiam hujus mali, Medicos inter agitatur acerrima. Quidam, a STAHLIO præsertim deducti viri, essentiam hujus morbi unice ponunt ac colloquunt in difficili sanguinis per venam portæ circuitu. Alii vero, hos inter Illastr. HOFFMANNUS, hanc quærendam esse, censent, in atonia ventriculi & intestinorum. Quamvis vero non sit negandum, difficilem circuitum sanguinis per venam portæ, huic malo sèpius ansam præbere, neutquam tamen ille essentiam hujus morbi constituit, sed tantummodo vices cause mediatæ, ex qua proficitur atonia, sustinet. Omnis vero controversia facili negotio poterit componi, si demonstretur, atoniæ ventriculi & intestinorum, a difficili sanguinis per portæ venam circuitu posse resultare ac provenire.

§. XXXIII.

Ad causas mali hypochondriaci refertur Plethora, & qvæ quoad effectum convenient, suppressio hæmorrhagiarum naturalium, quales sunt suppressio ac immunitio fluxus menstrui; Suppres-
sus fluxus hæmorrhoidum, & intermissa V. S. Mæjor vero quantitas sanguinis, quam quæ ad functiones competentes, in corpore humano, obeundas, si adest, sanguis ille tardior in circulum fertur, partim ob rationes datas (§. 29. n. 4.), partim etiam quia magna quantitas non tam celeri potest concitari cursu, quam minor quantitas illius: Tardiori itaque itinere permotus sanguis, facili modo evadit crassus, quia ob vasa, a sanguine nimium valde distenta (§. 29.), non sufficienter conqvassatur & fluidior reddi potest. Sanguis autem crassus facile stagnat, quia pondus ejus valde est auctum, atque difficulter inde per vasa transit, ac permeat. Si vero sanguis, in corpore qui continetur, fuerit crassus, ejusdemque pondus sit auctum, & tardius agitur, eoque modo facilius stagnat; stagnationes quidem hæ producuntur in abdome, & illis quam maxime in vasis,
que

quæ sanguinem ad venam portæ vehunt, quales sunt omnes
venæ meseraicæ, venæ gastricæ, splenicæ, pancreaticæ & hæ-
morrhoidales. Nam in his vasis sanguis difficultiori modo &
tardius [si comparatio cum aliis corporis humani vasis insti-
tuatur] provehitur, quia etiam, si in statu naturali sit constitu-
tus, crassior est ac crudior. Nam subtilissima ejusdem portio
remanet ac secernitur in ventriculo, intestinis, pancreate, ac
reliqvis [princ. physiol.]; & quamvis etiam in aliis partibus
corporis humani, secretiones partium subtilissimarum sangu-
inis, qui in arteriis invenitut, contingant, adeoque ille ad venas
transgrediens sanguis, eodem modo, quo in antea dictis venis,
fluiditate sua sit orbatus: Attamen a Physiologis Doctoribus
jam jam est discussum, quod ille sanguis, qui priusquam ad alias
feratur partes, antea ad cor & pulmones pellatur, in illo novo
chylo iterum augestur, in his vero partim condenseretur, par-
tim attenuetur. [princ. physiol.] Dum e contrario ille ex viscera-
ribus abdominis superiora petens sanguis, crassus & crudus, in
hac sua qualitate ad hepar ducitur; ideoque necessario in his
vasis tardiori motu progredi debet; quique etiam tardior
progressus in his vasis major redditur, quia hæ venæ valvulis
destituuntur. (princ. anat.)

§. XXXIV.

Quando itaque a copia & crassitie sanguinis in his vasis
tardior oritur circulatio, tunc illa vim suam in primis exserit,
mediantibus stagnationibus in abdome & quidem in vasis &
venis ventriculi & intestinorum (anteced.). Stagnatione in
his facta, venæ hæ plus justo extenduntur, comprimunt fibras
nerveas ventriculi & intestinorum: Qua quidem compressione
efficitur, ut sufficiens quantitas fluidi nervi in fibras nerveas ne-
queat intrare. Cum vero a sufficienti quantitate influxus liquidi
nervi, partis cuiusdam solidæ C. H. inter alia tonus & robustus
pendeat (Cap. I. §. 17). Hicce vero influxus liquidi nervi in
fibras nerveas intestinorum, cum impediatur a compressione
fibrarum nervearum, a stagnatione sanguinis in venis ventri-

culi & intestinorum producta (anteced.) est manifestum exinde a stagnatione sanguinis in venis ventriculi & intestinorum; atoniam sive relaxationem eorundem posse profici. Hocce igitur modo stagnatio sanguinis sive tardior ejus circulatio per venam portæ atque in ventriculo & intestinis, existere potest causa mali hypochondriaci.

§. XXXV.

Essentiam vero mali hypochondriaci potius consistere in atonia ventriculi & intestinorum, partim e symptomatibus, hypochondriacis familiaribus, partim quoque e facilissima symptomatum, hic occurrentium explicatione ac resolutione, hæcce sententia si fuerit stabilita, clarius patescit. Nam si ventriculus & intestina sunt relaxata, illos ex aëre, qui cibis, potuique intermixtus est, procreatos flatus non possunt coegeri & expellere; qui igitur intestina expandunt, illisque adhaerent. Atque sic primus effectus atoniae sunt flatulentiae, aut flatus retenti. Quando autem intestina sunt relaxata, sanguis in vasis non potest juste in circulum ferri: circulatio enim sanguinis adjuvatur a constrictione partium musculo-membranacearum, quas inter vasa sunt sita, (princ. physiol). Ergo atoniam tardior circulatio sanguinis sive stagnatio ejusdem in intestinis consequitur. Porro ob atoniam intestinorum motus peristalticus non rite succedit; ab hoc vero peragit, & concoctio, & excretio cruditatum (princ. physiol.). Illo autem labefactato, concoctio non rite absolvitur, cruditates majori copia generantur, & debito modo e corpore nequeunt ejici. Ergo cruditates ventriculi & intestinorum fluunt ex atonia. Hæ vero cruditates, secundum differentiam subjectorum, sunt aut mucosæ aut biliosæ, & illæ quando diutius retardantur, evadunt acres & acidæ. Quando cruditates acres & acidæ inter plicas & rugas intestinorum, quæ format illorum runas villosæ & nerves, (cap. II. §. 5. schol.) subsistant, excitant spasmos & constrictiones intestinorum, qui efficiunt, ut illa uno loco constringantur, altero autem a flatibus incarceratis.

ex

expandantur. Et sic iterum ex atonia intestinorum, flatulentia, stagnationes sanguinis, cruditates & spasmi, oriuntur. Ex his itaque omnia mali hypochondriaci symptomata non possunt solum explicari, qua primis in viis resident, sed quæ alias quoque partes per consensum afficiunt. Docet pathologia, malum hypochondriacum primo omnium virulentiam suam edere sub costis spuriis, interveniente tensione & compressione, dum illæ ex atonia genitæ flatulentia facilius subsistunt in curvaturis, quibus est colon instructum (cap. II. §. 13). Huc accedit, quod colon non **ubique** servet æqualem diametrum. Proveniunt ergo hæc symptomata a rententione statum in colo, & inde orta illius expansione. Veritas hujus asserti ex eo patet, quia symptomata hæc levantur, ructibus ac flatibus supervenientibus. Intestinis accident 1] Borborygmi, quando status ex parte intestini expansa, in constrictam perluntur, 2] Crebriores colicæ, modo biliosæ, mucosæ modo, a cruditatibus ejusmodi, (anteced.) originem trahentes, modo sanguineæ, a stagnatione sanguinis in intestinis (anteced.) enatae; 3] Obstructiones atque flicitates alvi, quæ partim ab atonia intestinorum, (anteced.), partim a spilo sanguine, & inde pendente minori secretione liquoris intestinalis oriuntur. 4] Diarrhoeæ, quando congestæ cruditates fermentescere incipiunt; intestina stimulant, & copiosorem effluxum humorum ad intestina excitant. Ventriculus identidem se se habet male; Nam adest modo appetitus inordinatus, fortis modo, si multæ in illo subsistunt cruditates acidæ; modo is imminuitur, quando cruditates mucidae peccant. Adestit nausea, conatus vomendi; præsertim, quando ægrotus adhuc est jejonus, & contentæ in ventriculo cruditates evadunt acres; expansiones ventriculi, a flatibus profectæ; Cardialgia, continua pressio ventriculi, partim a stagnatione sanguinis, partim flatibus, partim cruditatibus, contracta. Ad quæ symptomata in quibusdam adhuc accedunt vomitus actuales, cum quibus conjuncta est interdum excretio materiæ, quæ gignitur, ex cruditiæ

cruditatibus bilioso-acidis; ructus quoque acidi amarulentus, ab iisdem oriuntur cruditatibus. In renibus etiam in plerisque constrictio observatur spasmatica, ob nexus plexus renalis cum stomachico & meseraico, (cap. II. §. 24.). Hacque constrictio sentitur modo in tubulis urinariis; unde urina redditur aqua, pallida, diluta, exigua; in partibus membranaceis renum modo, unde nephritis spuria, dolores, calculum mentiones, ab ipso tamen probe dignoscendi.

§. XXXVI.

Si autem haec symptomata evadunt fortiora, & vasa sanguifera in abdomen & intestinis validius constringuntur, congestiones accident humorum ad pectus & superiora, indeque oriuntur palpitaciones cordis, ob spissitudinem sanguinis conjunctam, accidente praesertim motu paulo fortiori; asthma sanguineum; vertigo & obnubulatio oculorum, fusurus aurum; Quæ omnia symptomata a copiosiori sanguinis affluxu ad caput resultant. Porro somnus subsequitur inquietus, & incertitia perpetua, cum praecordiorum angustia juncta, a difficili spissi sanguinis per cerebri vasa circuitu oriunda. (princ. pathol.)

§. XXXVII.

His itaque antea constitutis, redditur apertum, qua ratione malum hypochondriacum inflammationis causa, praecipue intestinorum, posit exsistere. Nam 1) Hypochondriacorum sanguis est crassus & abundans (§. 33. & 34). Valet itaque inflammationem inferre ex rationibus in §. 24. 29. & 30. subministratis 2) Sæpius spasmodis afficiuntur intestina, malo hypochondriaco, laborantium, (§ 35.). Spasmi vero ea est conditio, ut pars illa, quæ afficitur spasio, nimium constringatur (princ. pathol.). Constricta nimium parte quadam solida corporis humani, cuius compositionem ingrediuntur arteriae, praesertim minimæ, quales sunt in intestinis, (cap. II. §. 23.) arteriae illæ comprimuntur; his compressis, sanguis ex illis ulterius non potest ferri, sed in illis obstructionem & stasis concipit,

concepit; hæ vero causas inflammationum in se continent. 3)
Atonia ventriculus & intestina laborant. Quanam autem ratione, laxitas partium solidarum in numero causarum inflammationum sit collocanda, exposui (§. 21, 22, 29, & 30.)

§. XXXVIII.

Cum autem ægrotus noster malo hypochondriaco fuerit vexatus, [membr. i. casus] facile quoque impetus inflammationum in primis intestinorum potuit experiri. [§. 37.]

§. XXXIX.

Cibi, de quibus summus omnium rerum conditor ac moderator hominibus prospexit, ad corpus eorum conservandum, & ad illa, quæ secretionibus & excretionibus sunt amissæ, restituenda, equidem sua natura corpori non sunt noxii; verum si non in quantitate, ordine & qualitate modus eorum tenetur, vires acquirunt, corpori humano quæ struunt insidias. Quantitatè eorum si non justi limites præfigantur, corpori eadem noxas minatur, sive modum quis excesserit, sive vitio implicitus contrario. Si autem cibi non decenti tempore assumuntur, vel decenti mora, uti fit, si cibi justo citius se excipiunt, aut illo capiuntur tempore, quo cibis non sumus adsueta, tunc cibi peccant ordine. Ex qualitate ciborum damnum in corpus humanum redundant, si illa ingeramus, quæ sunt nimis viscidæ, crassæ, dura, acida, reliqua. Si autem hisce tribus modis, rationem ciborum fuerimus transgressi, cibi aut ventriculo & intestinis, in quibus omnium primo continentur, [princ. physiol.] aut sanguini & deinde toti corpori, si cum chylo uti fit [princ. physiol.] sanguini admisceantur, vim inferunt.

§. XL.

Ægrotum vero nostrum omnia tria illa ciborum genera supergressum fuisse, primum casus membrum testatur. Nam 1) quod atinet ad quantitatem, illam hanc excessisse illum, constat, dum tempore diurno & nocturno, lac & reliqua, cepit ac hausit; inde quoque est factum, ut 2) ordinem ciborum capendorum turbaverit, nec justi temporis legibus adstrinxerit.

Denique

Denique etiam ciborum feligendorum rationem habuit nullam. Etenim lac modo dulce, acidum, crassum, variaque genera lactesciniorum sumunt, sed durum etiam, atque acidum ciborum genus, ei fuit in deliciis (per membr. i. casus).

§. XL.

In singula itaque eum in modum, quem in § præcedenti traxi, examen instituam, noxas, quæ ex abuso illorum in ægrotum nostrum redundant, expositurus, causasque inflammationis, quæ ægrotum infestavit, ostensurus.

§. XLII.

Cibi copiam, sive cibi quantitatem excedentes, actionem ventriculi, sive illius tonum imminunt, illum relaxant; quia ventriculus ultra modum, non solum a cibis in illo contentis, sed etiam ab aere, illis inclusu, extenditur. Si ventriculus ultra modum est extensus, atque ideo fibrarum, ventriculum componentium, longitudo est facta major, comprimuntur interiacentia vasa sanguifera & nervi; his compressis, imminuit sufficiens influxus sanguinis & liquidi nervei, unde oritur atonia. Quando autem ventriculus atonia est affectus, & relaxatus, cibi, qui denuo capiuntur, non possunt rite solvi; Nam hæc solutio pendet potissimum a constrictione fibrarum ventriculi (princ. physiol.); solutione autem ciborum non sufficenter facta, chylus evadit crassus & crudus, quique tali fluiditate, quali debebat, non gaudet. Neque in eo partes viscidae decenti modo a se invicem sunt separatae. Ejusmodi autem chylus [anteced.] non solum valet in glandulis, quæ in mesenterio inveniuntur; [princ. anat.] subsistere, sed etiam sanguis, qui ex hocce chylo generatur, est crassus & crudus.

§. XLIII.

Noxæ itaque tales ex nimia ciborum quantitate enatae, in corpus ægroti nostri suas dimiserunt vires, quales ex sanguine crasso & viscido proveniunt. Modum autem, quare sanguis crassus & viscidus inter causas, ad inflammationem producendam aptas, locum occupet, jam docui. (§. 26.)

§. XLIV.

§. XLIV.

Cibi autem, si justo citius sese excipiunt, cocti miscentur cum nondum coctis, imo novus chymus, dum novis adhæret cibis, impedit resolutionem; quia menstruum ventriculi per tale fluidum nequit penetrare; hinc ab istis diluantur, & simul in massam sanguineam transferuntur; unde sanguis redditur impurus, crassus, non alimentarius; partes non coctæ in extremis yasis subflunt, eademque obstruunt & corrumpunt.

§. XLV.

Eodem itaque modo, quo sanguis crassus & impurus, dicta in [§. 44.], ad causas inflammationum referri possunt.

§. XLVI.

In nimis amplam molem præsens scriptio[n]is genus ex crescet, si in eruendis lactis proprietatibus, iisdemque recente[n]dis, operam atque studium collocarem. Sed sufficiat mihi, generatim indicasse, lac, & quidem dulce potissimum, locum obtinere inter optima alimenta, quæ corpus humanum valent nutrire, si quidem in illo capiendo delectus instituatur, nec nimia assumatur quantitate, & discernatur habitus atque constitutio corporis, illius, eo qui fruitur. Sin minus haec probe observentur, lac naturam plane induit alienam, corporique damnum infert. Ita namque, quod attinet ad delectum, circa assumptionem lactis instituendum, de hoc inter omnes convenit, lac dulce, sive fuerit ovinum, sive caprinum, aut vaccinum, ut & serum lactis; omnium maximam vim ad corpus nutriteadum, imo etiam ad morbos, alias quidem inexpugnabiles, aut solum exhibitum, aut cum aquis mineralibus mixtum, arcendos, ac contundendos conferre. E contrario autem alia lacticiniorum genera, qualia sunt lac coagulatum sive crassum, acidum, & alia e lacte parata, alio longe modo sunt constituta, & facilissime corpori possunt esse fraudi. Quantitate autem nimia si lac adhibetur & usurpetur, nonsolum noxiū erit, e rationibus, de ciborum nimia quantitate suppeditatis

K

[§. 42.]

[§. 42.], sed illud etiam nimis diu in ventriculo contentum, ob atoniam, ex nimia quantitate lactis ventriculo ingestu, inductam, evadit acidum, coagulatur, reliquæque massa; quæ adhuc in ventriculo mansit, eodem modo labem infert; e quibus omnibus varia mala inducuntur. Præsertim vero exinde generatur chylus crassus, crudus, viscidus; ex quo postea eodem modo comparatus sanguis gignitur. Quod denique concernit habitum atque constitutionem corporis illius, qui lacte illud nutrit, de hoc jam **HIPPONCRATES** suam interpolavit sententiam: *Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata sunt ac murmurantia, & stercorosis malum; malum istidem, quibus biliosa dejectiones, febres acute, & copiosa sanguinis evacuatio facta est, cetera;* in Aphorism. Sect. V. Aphorismo LXIII. Porro etiam alii veterioris ætatis Medici, scilicet, **DIOSCORIDES** Lib. II. Cap. LXIV., **AVICENNA** Lib. IV. Fen. VI. Tr. II. §. 96., **BALLONIUS** Lib. II. Epidemior, pag. 21. aliique, illaque circa hanc rem scitu sunt necessaria, tradiderunt. In primis autem lactis usus suspectus est & noxious 1] illis, qui ventriculum gerunt imbecillum, quia ob reinissimum robur & tonum illius, lac non sufficienter potest solvi, atque e ventriculo expelli; unde illud, in eodius hærens, coagulatur, atque acidum & acre evadit. Imo si ex ventriculo demum ad intestinum duodenum defertur, ibique succo biliose commiscetur, naturam plane corrosivam & acrimoniam sumمام induit; intestinorum tunicam nervosam arrodit, efficitque, ut non solum tormina cum tenesmo, ventrisque inflationes, proveniant, fæces cum dolore, svi arrosione & pruritu secedant, corpus lassetur; sed etiam, quia in ventriculo diutius detinetur, robur ejus adhuc magis immunit. Unde anxi in præcordiis resultant dolores, chylus redditur vitiosus, crassus, acidus & viscidus, sanguisque ex tali chylo genitus, pariter ac chylus paratur crassus & viscidus. 2] Noxa e lactis usu imminet illis, qui malo sic dicto hypochondriaco detinentur. Nam in his ob plane turbatum excretionis alvine, a spasmis & copioso fluxuum provenient negotium, plures cruditates acida ventriculo ingenerantur.

qus

qua, cum lac eo delatum, promte coagulant & precipitantur, molestissimaque afferunt symptomata. Sunt verba illusfr. HOFFMANN^E in *Dissere. de Seri lattis virtute longe saluberrima*; cum quibus conferenda ejus *Med. system*, Tom. II. p. 381., in qua mala illa, quæ ex assumptione lactis, in hypochondriacis oriuntur, pluribus recensentur. In primis autem exinde originem trahunt flatulentæ intestinorum & obstructiones alvi, ut & illa mala, quæ num i. hujus §. recensui.

§. XLVII.

Ægrotus autem noster, cum omnia in [§. 46.] allata neglexerit, & in latte capiendo delectum haud instituerit, dum lac dulce, acidum, crassum, aliqua lacticiniorum genera, non solum ingesit, sed etiam vice potus hausit, [membr. i. cas.] in usu lattis quantitatem debitam non observaverit [§. 42. n. 1. & 2.]; nechabitus atque constitutionis corporis sui rationem haberit, dum mælo cum hypochondriaco habuit conflectari, [membr. i. cas.] adeoque atomia non solum ventriculi, sed & intestinorum laboravit [§. 35.]; non potuit non, ex assumptione lactis, in varias calamitates, intuitu valetudinis suæ conjici, illaque sustinere mala quæ in [§. 46.] adumbravi.

§. XLVIII.

Illas vero noxas, quæ præcipue ex latte crasso & acido, in corpus humanum vires suas exercent, in (§. 50. & 52.) recensabo, quia ægrotus noster durum etiam, atque acidum ciborum genus in delicis habuit. (membr. i. cas.). Cibi autem duri, & crassi, quam maxime inter se convenient; præterquam quod gradu differant, dum cibi duri majori id gradu efficiunt, quod crassi, (princ. pathol.). Acids identidem, unam eandemque qualitatem retinent, & tantummodo in eo a fæse discrepant, quod quedam sint mitiora, quedam fortiora; attamen effectus illorum est idem; nam similium similis est ratio. Interim tamen etiam illa, quæ in (§. 47.) generatim de noxis, ex lattis impetuoso usu quæ fluunt, jam docui, ad lac & acidum & crassum, possunt applicari; & quidem partim respectu quantita-

tis, partim etiam intuitu habitus ac constitutionis corporis. Quibus adhuc addendum, quod lac acidum & crassum, majori efficacia illa mala augeat, si intempestive illud adhibetur. Est namque lac crassum difficultioris concoctionis, acidumque habet coniunctum: eademque est ratio lactis acidi. Hoc enim si quis assumit, qui ob constitutionem corporis sui jam cruditates acidas in ventriculo habet contentas, atque atonia ventriculi & intestinorum, sicuti hypochondriaci, laborat, illud adhuc magis naturam acidi acquirit, adeoque eo citius coagulatur; atque exinde chylus & sanguis crudus, crassus & viscidus persicitur.

§. XLIX.

Cibi crassi, & duri sunt omnes, quorum cohæsio major, quam ut a robore, & menstruo ventriculi in chylum decenter possiat mutari. [princ. pathol.]

§. L.

In physiologicis etenim præcipitur, concoctionem ciborum quam maxime adjuvari, partim ope actionis ventriculi, vi cuius cibi discontinuantur, conteruntur, comprimuntur; partim etiam auxilio menstruorum ventriculi, qualia sunt saliva, liquor gastricus, quæ partes ciborum contusas, & discontinuatas, solvunt, fluiditatemque debitam illis largiuntur. Quando autem cibi ad ventriculum deferuntur, qui sunt crassi & duri, quorumque partes magna vi inter se cohærent, robur ventriculi & menstruorum non est sufficiens illis solvendis atque concoquendis: Unde in ventriculo & intestinis remanent cruditates, chylus, ex iis elaboratus, non redditur satis fluidus ac tenuis, sed crassus est & viscidus. Quare stagnat ille in glandulis mesentericis, & producit obstructiones in iisdem, totamque sanguinis molem crassam ac viscidam efficit; unde cachexia inducitur.

§. LI.

Ægrotus noster, lacte crasso & cibis duris usus, [membr. r. eas] insultibus malorum, (§. 50.) commemoratorum, non potuit non patere.

§. LII.

§. LII.

Cibi acidi, parciore quantitate sumti, non nocent, sed juvent digestionem: Excedentes vero, & ab iis assunti, qui ventriculo premuntur imbecilli, inque quibus succi facile coaecescunt, quales omnium sunt maxime hypochondriaci, hujus generis cibi, excretiones retardant, chylum præcipitant. Sanguis igitur & lymphatici inspissantur humores, atque coagulantur; viscera & glandulae ad obstrunctiones disponuntur, constringuntur vasa extrema & roduntur. Imo si sibi acidis cum biliosis succis commiscetur, valde corrosivam & virulentam naturam induunt, adeo, ut nerveas ventriculi & intestinorum tunicas, exquisitissimæ alias sensatioris, arrodant, ac vellicent. Horum vero noxas optime MARTIANUS, *Commentario in Hippocratem p. 387.* hence descripsit in modum: Et profecto a copioso acido, ut palam est in hypochondriacis, morbus melancholiae nascitur, somnus absurdus ac vanis imaginibus turbatur; animus continua tristitia atque metu concutitur, cardialgia quoque, frequens vomitio, ardor, soda, continuæ eructationes, animae desetio, circa praecordia anxietas; alvi quoque crebrior defecatio; vel ebolera etiam frequentissime inde suam irabunt originem.

§. LIII.

Indulxit autem ægrotus noster nimium acidis, lacti scilicet acido, & cibis acidis [membr. i. cas.]. Quare etiam corpus vitiavit, atque valetudinem suam, illis in (§. 52.) recentis malis exposuit.

§. LIV.

Si autem omnia illa, quæ hactenus de ciborum illo genere, quod ægrotus noster in usum corporis aleadi convertit, a §. 46. ad 52. sum commentatus, inueor, eaque mala, quæ exinde in corpus ejus redundarunt, queque simul in unoquoque §. indicavi, curatoriæ estimatione metior, merito sic animum induco meum, esse illa in numerum causarum inflammationum referenda. Jam vero non in omnis inquiram mala, nec, qua ratione illa causam inflammationum constitueret valuerint, ostendam, sed tantummodo quædam ex illis deponemus.

K 3

§. LV.

§. LV.

De lacte enim dulci (§. 46.) docui, 1] Illud, si nimia quantitate usurpetur, viriose resolvi in ventriculo, indeque evenire, ut non chylus solum, sed & sanguis efformetur crudus, crassus, viscidus. 2] In eodem §. (n. 1.) noxas illas recensui, quæ gignuntur, si lac capiatur ab illo, qui ventriculo vexatur imbecilli, quique periter chylum, sanguinem crassum, & aquosum suo in corpore exinde gerit. Prætereaque iis adhuc accident varia mala; inter quæ præcipue, arroso tunicae nerveæ, tormina, & inflationes ventris eminent. 3] Eodem denique §. (n. 2.) patescunt mala, quæ ex assumto lacte hypochondriacis eveniunt. Sunt eadem, quæ in antecedentibus adducta, quo in primis flatulentia intestinorum pertinent.

§. LVI.

Cibi autem crassi & duri, (§. 49.) si multi assumuntur; periter ex iis generatur chylus & sanguis, crassus, crudus & viscidus, [§. 50.]

§. LVII.

Cibi denique acidi excedentes, eodem, quo antecedentia modo ciborum genera, non solum chylum, sanguinem & humores crassos & viscidos reddunt; (§. 52.) sed etiam glandulas & viscera obstruunt, vasaque extrema constringunt, illaque, & tunicam nerveam intestinorum arrodunt (§. 52.) cetera.

§. LVIII.

Omnia itaque, quæ ex prava ægroti diæta sunt profecta mala, in eo conspirant amice, 1] Ut sanguinem & humores crassos & viscidos generint (anteced.). Valent adeo hic rationes, in (§. 24.) de modo, quo sanguis crassus & viscidus, ad inflammationem inferendam aptus sit, exhibet. 2] Ut multi spasmi in abdomine, præsertim vero intestinis excitentur. (§. 46. & 52.) Qua ratione autem spasmi inflammatione cause existant, jam (§. 37.) exposui. 3] Ut intestina relaxentur & a robore suo naturali dejiciantur (§. 46.). Horum itidem aptitudinem ad inflammationem producendam jam explicavi. (§. 21, 22, 29, & 30.)

§. LIX.

Pecunarem vero adhuc considerationem mereantur arroso tunicae nervae intestinorum, vasorum extreborum, horumque constricatio, a laete, cum bile mixta & corrosivo fluido, [§ 46.] ut & a cibis acidis excedentibus progenita. Nam tunica nervea si arroditur, partim hac arrosione nimium constringitur, vasa, quæ copiosissime in illa sunt sanguifera, comprimuntur, quæ compressione facta, sanguis in illis non potest libere in circulum ferri, sed illa obstruit, & stasis in illis concidet, partim etiam illa fauiantur & vulnerantur, adeoque sanguis ex illis effluit, qui stasis concepit, reliquaque adhuc vasa sanguifera premit, sanguis ille, qui stasis patitur. Unde nova semper stases sanguinis, & obstructiones producuntur. Et haec quoque sunt rationes nimis constrictiois & arrosionis vasorum extreborum.

§. LX.

In præcedentibus mentio est sèpius injecta, quod ex prava ægroti diæta contingere possit, ut glandulæ, quæ in mesenterio sunt sitæ, fuerint obstructæ. Hancce vero obstructionem glandularum meseraicarum se vera in ægrotô nostro esse factam, testatur membrum secundum eas, ex quo patet, illum affectum fuisse tumoribus circa umbilicum duris. Hosce autem tumores duros potissimum fuisse enatos, ab obstructis & induratis glandulis meseraicis, nullus, ut mihi habeo persuasum, erit, qui illud negaverit; siquidem hoc experientia optime corroborat in infantibus, qui atrophia laborant. Nam hæc interalia excitatur potissimum ab obstructis glandulis meseraicis, [princ. pathol.] quæque se tunc manifestant tumoribus in abdomen duris, & quidem circa umbilicum maxime conspicuis, [princ. pathol.] Mihi, cum Berolini degarem, videre contigit, in domo ægrotorum communi, vulgo Charite dicta, feminam quandam, in cuius abdomen, maxime autem circa umbilicum, deprehendi erant tumores duri multi, qui domum tractu temporis emollescebant; quo facto, femina illa exspirabat. Cadavere illius, post mortem aperto, ostendebantur glandulæ meseraicæ pleræque.

pleræque exulceratæ, aliæ vero adhuc induratae. Præterea fectiones infantum, atrophia extinctorum, hæc satis manifestant, dum in illorum mesenterio nungquam non multæ inventiuntur glandulæ induratae. [per experient.]

§. LXI.

Cum itaque ægrotus noster seuerit tumores circa umbilicum duros, tumores vero circa umbilicum duri sint signa obstructarum & induratarum glandularum mesentericarum; [§. 50.] causæque, quæ hanc obstructionem & indurationem excitare valent, etiam adhuc; [§. 42. & 50.] exinde consequitur, hōscum tumores dūros sunt glandulas mesenterii obstratas & induratas.

§. LXII.

Cum autem intestinorum seu in abdomine ita sit comparatus, illa ut efformet varias circumvolutiones, & in plerisque abdominis plagiis sint collocata, (cap. II. §. 1.) mesenteriumque expandum, quedam illorum, præsertim tenuia, sua superficie attingat & obtegat; glandulæ autem multæ per totum mesenterium sint disperse (cap. II. §. 32.); sit inde, ut si glandulæ illæ sint induratae atque obstructæ, haæc sua duritie intestina illa, quæ mesenterium attingit & tegit, externe premit, hacque compressione efficiant, ut vasa sanguifera, præsertim vero arteriæ minimæ, in illis pariter comprimantur, sanguinis cursus in illis retardetur, illa obstruantur, stasisque illius in illis resulget;

§. LXIII.

Dum vero compressio vasorum sanguiferorum, in primis minimorum externa, a tumore duro facta, sit causa eorundem obstructionis (§. 5. Schol.); & staseos (§. 6.): Cursus autem sanguinis in arteriis minimis sublatus, earundemque obstratio & stasis in illis producta, sit causa inflammationis (§. 10.). Compressio vero hæc arteriarum minimarum in intestinis, adeoque earundem obstructio & stasis sanguinis in illis progenita, a tumoribus circa umbilicum duris, in ægrotu nostro conspi-

conspicuis, quiue fuerunt glandulae mesenterii induratae [§. 61.], cum fuerit inducta, patet etiam, ægrotum nostrum, ob glandulas mesenterii induratas & obstructas, periculum inflammationis intestinorum subiisse.

§. LXIV.

Hæc mihi medicanti, incidit in mentem, esse Anatomi-
corum quosdam, qui fovent sententiam, in peritonæo, eo-
dem, quo in mesenterio, modo, reperiri multas glandulas.
Consulatur CASSEBOHM in Method. secandi, GARENGEOT in
Splanchnologia p. 172, 173, 174, & 175.; qui etiam ex celebris Ana-
tomici Anglicani, CHELSELDENI Anatomia refert, illum in ca-
davere feminæ, hydrope consumtæ, invenisse peritonæum,
crassitie tres pollices æquans, multisque glandulis induratis
obsestum. Erroris itaque me posset quis arguere, quod tumo-
res illos duros, quos ægrotus circa umbilicum fensit, solos
pro glandulis mesenterii obstructis & induratis reputaverim;
cumque peritonæum super intestina sit expansum, illaque te-
gat & circumvolvat, [cap. II. §. 29.] totaque superficie sua illa
attingat; eodem potuissent accidere modo, ut tumores circa
umbilicum ægroti nostri duri, glandulae etiam peritonæi po-
tuerint esse induratae, quæ intestina itidem & vasæ sanguiferae,
præsertim eorundem arterias minimas, vi suæ duritiae com-
primere, & obstructionem, statinque sanguinis in illis produ-
cere potuissent.

§. XLV.

Verum enim vero, quia glandulas in peritonæo adhuc
multi negant, inter quos præcipue eminet HEISTERUS in
Anatomia Part. II. pag. 14.; ego quidem in inquirenda veritate:
Num inter tumores illos duros etiam extiterint glandulae pe-
ritonæi induratae, nolui esse prolixior; siquidem majori etiam
certitudine, argumentis, tam ex experientia, quam ratione,
petitis, potest vindicari, tumores, si qui sentiuntur in abdomen,
præsertim autem circa umbilicum, duri, esse habendos pro
glandulis mesenterii obstructis & induratis, [§. 60.]. Interim
L tamen

tamen nolo negare omnino, tam existentiam glandularum in peritonæo, quam etiam earum indurationem, concedens, contingere potuisse, ut inter tumores illos duros, glandulæ etiam peritonæi induratae fuerint offendendæ; quæque eodem, quo dixi, modo in [§. 60. & 61.], inflammationis intestinorum causa, in ægrototo nostro valuerint existere.

§. LXVI.

Illum, quem ægrotus noster sensit, pedum tumorem, [membr. i. casus] ex difficiili sanguinis crassi & viscidæ, in vasis sanguiferis contenti [per anteced.], ex pedibus ad superiora ascensu, ejusdemque stagnatione in illis, provenisse, existimo. Siquidem experientia manifestatur, homines cachexia laborantes, quæque a sanguine crasso & viscidæ generatur [§. 26.], plerumque complicatos habere tumores pedum oedematosos. Fuit autem ægrotus noster cachecticus [membr. i. casus]: Ergo tumor ille pedum oedematosus cachexia & stagnationi sanguinis & humorum, in vasis pedum, tuam debet originem.

§. LXVII.

Tum autem ex his, quæ in (§. 66.) de tumore pedum ægroti nostri oedematoso, tum etiam ex illis, quæ in (§. 60, 61, 62, & 63.) de glandulis mesenterii induratis in medium attuli, jam iterum patet veritas dictorum in antecedentibus, ex prava ægroti diæta fuisse factum, ut non solum chylum crassum & viscidum, sed eodem quoque modo comparatum sanguinem, sibi contraxerit.

§. LXVIII.

Nocentia denique & juvantia, majorem dictis in antecedentibus fidem possunt etiam conciliare; siquidem illis, quibus vires medicamentorum sunt perspectæ, notum est & cognitum, fontium medica qualitate luxuriantium, eam esse virtutem atque indolem, ut non solum secretiones & excretiones, si illæ in corpore humano a statu naturali sunt dejectæ atque turbatæ, iidem in ordinem redigant, atque ad statum naturalem reducant, sed robur etiam atque tonum ventriculi & intestinorum, restituant; sanguini crasso, & viscidæ, iterum fluidi-

fluiditatem suam naturalem concilient; & obstructions viscerum & glandularum referent. Elixiriorum porro visceralium, & medicamentorum balsamicorum, in eo sepe virtus exserit, ut robur ventriculi atque intestinorum instaurent, hisque efficient, ut non chylus solum, & bonus etiam sanguis generetur; excretio alvi rite procedat, & obstructions viscerum & glandularum tollant ac removeant (princ. de mat. med.)

§. LXIX.

Ægroti autem nostro cum fons medicatus Sagardiensis, & usus elixirii visceralis, tulerit levamen, sanitasque, quamvis vacillans, post illorum usum quodammodo redierit (membr. III. cas.); exinde elucescit, eum etiam illis malis, quæ horum usu mitigantur, fuisse subjectum.

§. LXX.

Quamnam speciem diarrhoeæ, auctor historiæ morbi, sub verbis, diarrhoeæ putridæ ac maligne comprehendat, mihi equidem non satis constat. Evolvi hac occasione multa scripta Practicorum, puta FORESTI, SYDENHAMII, LOMNII, ET T. MULLERI, HORSTII, BOERHAVII, HOFFMANNI, NENERI, ceterorum; verum in nullo mihi licuit invenire, speciem quandam diarrhoeæ, quæ vocetur putrida maligna. Ex aliis autem casus verbis, mens auctoris quodammodo clarius circa hanc rem manifestatur: partim hisce, *alvum effusisse largius, & materiam ejectam, colorem præ se tulisse fuscum & odorem sparisse tetterimum;* partim etiam membro nono casus, in quo inveniuntur verba, *diarrhoea putride biliosa impetum non plane sibi potuisse.* Ex hisce itaque, simul sumtis, sequitur, ut materia illa, vi diarrhoeæ, quæ ægrotum nostrum infestavit, ejecta, composita fuerit ebile, justo majori quantitate ad intestina delata; & materia quadam putrida, quæ sine dubio, ab arrosis & fauciatis vasis sanguiferis tunicae nervae & villosæ intestinorum, profecta a mala ægroti diæta, in primis autem a commixtione partim bilis cum lacte in intestino duodeno, acri atque corrosivo facta (§. 46.); partim etiam ab abuso ciborum acidorum, (§. 52.)

originem duxit. Quibus factis, vasa sanguifera intestinorum arrosa fuerunt ac vulnerata, sanguisque in illis contentus, & vi cordis & arteriarum ad ea delatus, in cavum intestinorum effluxit, ibidemque stasi concepit. Sanguis autem stasi expositus nisi iterum tollitur, putredinem concipit (princ. pathol.). Putredine corruptus sanguis, putridum & tertiarium spargit odorem, nigricantemque & fuscum induit colorem (princ. pathol.). Cum vero non solum a lacte, bili admixto, & corrosivo facto, nec non a cibis acidis excedentibus, vasa intestinorum sanguifera saudientur, ac vulnerentur, sed tunica etiam intestinorum nervea vellicetur (§. 46. & 52.); hacce contingit vellicatione, ut fibræ nervæ intestinorum nimium irritentur, & constringantur; quibus nimium constrictis & irritatis, motus intestinorum peristalticus augetur; constrictio & dilatatio intestinorum redditur celerior & præternaturalis, motusque sanguinis & humorum, in primis autem bilis, majori copia ad intestina determinatur. Si autem intestina sœpius & fortius constringuntur & relaxantur, ea, quæ in illis sunt contenta, majori vi & efficacia propulsæ, e corpore eliminantur. Sanguis vero, qui ob vulnérata vasa sanguifera intestinorum, in cavum illorum effluxit, ibidemque stasi est perpetua, (anteced.) ut & bilis majori copia ad intestina delata, (anteced.) illa fuerunt, quæ intestina præter alia continuerunt; Ergo hæc etiam per fortiores & frequentiores constrictiones & relaxationes intestinorum, ex his sunt expulsa. Quia autem ob magnam copiam succorum corrosivorum & acidorum, in intestinis contentorum, (§. 46. & 52.) in ægrototo nostro sit factum, ut forte multa partim vasa sanguifera minima in intestinis fuerint vulnerata; partim etiam ob fortissimam vellicationem tunicae nervæ intestinorum, illa ad majorem constrictione & relaxationem sint incitata; & denique ob continuum affluxum bilis, quæ itidem valet vasa sanguifera intestinorum arrodere & sauciare, tunicamque nerveam vellicare; diarrhoea illa, nostrum quæ affixit ægrotum, adeo fuit contumax, ut omnium medicamentorum vires excesserit longissime.

S. LXXI.

§. LXXI.

Multis itaque ex rationibus, potest diarrhoea causis illis accenserit, quae inflammationem in intestinis valent producere. Nam 1] evenit, ut ob fortiorum intestinorum constrictiōnē & relaxatiōnē, in diarrhoeā in intestinis concitatam, [§. 70. & princ. pathol.] vasa sanguifera, præsertim vero arteriæ minimæ intestinorum, justo frequentius comprimentur, hacque compressione frequentiore & fortiore, sanguis faciliter & frequentius in illis obstructionem, & stasim illius producat; 2] ut intestina tono suo priventur, & laxitatem patientur; si diarrhoea, uti in ægroto nostro accidit, [per casum] perduret diutius, (princ. pathol.). Rationibus autem reddendis, cur pars quædam solida, laxitate laborans, facile inflammationi pateat, jam quidem possum supercedere, cum illas (§. 21. 22. 29. & 30.) dederim expositas: 3] Ut ob fortiorum constrictiōnē intestinorum, sanguis ex fauciatis ac vulneratis vasis sanguiferis majori copia exprimatur, atque expellatur; qui reliqua insuper vasa sanguifera premit, & hac pressione efficit, ut semper novæ obstrunctiones & stases sanguinis in illis enascantur: 4) Ut ob continuum & majorem affluxum bilis, vasa sanguifera in intestinis a bile vulnerentur; sanguis effluens stasim concipiatur; sanguis, stasim passus, reliqua vasa sanguifera prematur, novasque propterea obstrunctiones & stases illius gignatur; partim etiam tunicam intestinorum nerveam vellicet: Unde intestina fæcilius & fortius constringuntur; qua constrictione in vasis sanguiferis intestinorum novæ obstrunctiones & stases efformentur.

SCHOLION.

Bilem autem valere vasa sanguifera intestinorum arrodere, & fauciare, experientia testatur. Nam si diarrhoea quedam bilioſa fæciat longius, sanguis simul excrementis est intermixtus. Sententiae vero, quod bilis scilicet sit apta, ad fortiorē constrictiōnē & relaxatiōnē intestinorum promovendam; pariter majorem lucem accedit observatio, diarrhoeā quendam fæcipsis excitari, a majori affluxu bilis versus intestina; uti cernitur in illis, quorum animus ira inflammatur vehementius.

L 3

§. LXXII.

§. LXXII.

Ægrotus autem noster, cum dierrhoëa putrida & biliosa fuerit adflictus, (membr. 4. & 9. cas. ut & §. 70.) intelligiture rationibus de his suppeditatis (§. 71.) quo modo vi diarrhoeæ periculo inflammationis intestinorum potuerit subjici.

§. LXXIII.

Aër frigidus, & frigus, transpirationem insensibilem, tam in pulmonibus, quam in cute imminuunt, [qua imminuta particulae seroſæ ſalino-sulphureæ, alias per transpirationem e corpore exeunte, retinentur ac ſufflaminantur:] maflam ſanguineam condent, motum ejusdem tardiorē, cohaſionem partium quarumvis majorem, & conſtrictionem fibrarum exteriarum corporis humani, reddunt atque efficiunt. Unde ſanguis & humores ab ambitu corporis ad interiora urgentur, præfertim vero ſanguis ad illas partes, quæ laxitate ſtatu naturali majori valent, propellitur.

§. LXXIV.

Frigus itaque valet, inflammationis cauſa exiſtere; 1) ob transpirationem insensibilem ſuppreſſam, & inde copiam particularum ſalino-sulphurearum in ſanguine adauatam. Nam, hiſ in ſanguine multiplicatis, ille partim juſto crassior evadit, & hoc modo, ob rationes, de ſanguine crasso, ad inflammationem producendam apto, in medium allatas (§. 24.) in inflammationis cauſa reputatur. Partim etiam, quia ſanguis multis particulis ſalino-sulphureis ſcatens, partes ſolidæ in primis ſensationis acutæ, cuius indolis ſunt intestina, & vafa fanguifera minima præfertim, vellicet, & ad conſtrictionem ſtatu naturali majorem irriteret. Quare frigus eodem modo ad cauſas inflammationis referri potest, quo ſpasmus (§. 37.) & conſtrictio intestinorum frequenteriores ſunt ac fortiores. (§. 71.) Denique vero etiam ob majorem redditum numerum particularum ſalino-sulphurearum, & inflammatiorum ſanguinis, transpiratione insensibili ſuppreſſa, frigus inflammatione in potest excitare; Nam si hæc majori copia in ſanguine adiungit, reddi-

tur

tur is inflammatorius, & impurus, quare ille in arteriis minimis facilime subsistit, cum illis cohæret, in illisque satis concipit. Tercie enim experientia, hyeme, & quando vis frigoris adflat acrior, adeoque transpiratio insensibilis sublata est, frequentius gravantur inflammatorizæ febres, quo referas pluritudinem, peripneumoniam, reliqua. 2) Potest vis frigoris inflammationem concitare, ob condensationem massæ sanguineæ, motumque ejusdem tardiorum. Massæ enim sanguineæ condensatae, pondus augetur, & evadit sanguis crassior. Valeat itaque tunc inflammationes inferre; ob rationes in (§. 24.) de sanguine crasso, ad inflammationem producendam apto, subministratas. Si autem massa sanguinea tardius fertur in circulum, eo facilius in arteriis minimis potest subsistere, ibidemque satis, & obstructionem suscitare. 3) Iste potest frigus causa inflammationis, ob constrictiōnē fibrarum externarum corporis humani, & inde oborientem sanguinis & humorum ad interiora retrocessionem. Cum vero ex hac eveniat, ut quasi temporanea plethora in corpore excitetur humano, siquidem tunc major in vasis internis corporis humani adest quantitas sanguinis, quam adeste debebat; ex iisdem rationibus, quas de Plethora, ad inflammationem producendam idoneas, (§. 29. & 30.) dedi comprobatas, frigus inflammationum causa est habenda. Cumque præterea sanguis in frigore quam maxime propellatur in illas partes, quæ laxitate statu naturali majori, laborant; hæque in ægrotu nostro præcipue fuerint intestina, partim vi etatis, (§. 21, 22, 23.) partim vi mali hypochondriaci, (§. 35, 36, 37, & 38.) partim vi diarrhoeæ [§. 70. & 71.]; eo facilius intestina ejus, præcipiti inflammationis periculo fuerunt circumventa.

§. LXXV.

Ægrotus autem noster, cum frigori acriori fœse commiserit, atque exposuerit, dum iter glaciale trium milliarium instituit, [membr. 4. cas.] ob frigus, in hoc itinere quod est percessus, in inflammationis, in primis intestinorum, fœse inculit discrimen, [§. 74.] Accedit, quod frigus abdomeni, præsertim intestinis, valeat pestiferam plagam infligere. (HOFFMANNI *Nicæ. ffst. Tom. I. pag. 39.*)

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Affectus animi, inter ea esse ponendos ac collocandos, quæ nomine causarum, morbos producere valentium, insignuntur, in pathologia generali non solum ab artis salutaris Doctribus, firmis atque inconcussis rationum ponderibus, stabilitum est, sed experientia etiam quotidiana, rationibus istis auxiliatrices quasi præbet manus. Inter omnes vero affectus animi, nullus majori vi in corpus humanum sevit, atque furorem suum effundit, quam iræ motus concitatiōr. Hanc inse-
quicur enim vehemens admodum partium nervoso-muscula-
rium contractio: Totum inde nervorum sistema celerrime
commovet; systole cordis, eique annexorum vasorum, tum
arteriosorum, tum venosorum, & tonus partium fibrosarum in
uniuerso corpore adaugetur. Unde etiam post iram concita-
tam, motus cordis manifeste augetur; pulsus redditur inten-
sior, respiratio evadit vehementior; sitis, calor, inflatio, & rubor
faciei, arteriarum capitis, præsertim circa tempora major pulsatio
& intumescensia, oculorum ferocia, & denique tremor extre-
morum, & mentis præcipitata fere produnt & exserunt.
(Illustr. HOFFMANNI Med. System. Tom. II. pag. 152.). Quibus
omnibus manifestatur, in ira non motum solum liquidi nervei,
sed sanguinis etiam fieri fortiorem & impetuosiorem. Præ-
sertim autem ira, ob spasmodicam partium strictroram (anteced.)
virulentiam suam inprimis edit in ventriculum & intestina,
quia haec scilicet partes, ob nervorum ramificationes multas,
ad illa abeuntes, exquisitiōri sensu ac motu pollut, atque in
illis inflammationem saepius periculosa ira exitat. (HOFF-
MANN I. c. p. 156.) Præcipue autem inflammationi intestino-
rum, ab ira provenienti, expositi sunt homines dubiae sanitatis;
quales sunt hygochondriaci. Et refert Illustr. HOFF-
MANNUS de viragine quadam hypochondriaca, quod eadem
iracundia commota, gravissima & lathali intestinorum inflam-
matione fuerit affectus, superveniente delirio, sanguinisque
circa mortem per alyum secessu.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Rationes autem, quibus eveniat, ut ira facilissime, præsertim in hominibus, prostratæ valetudinis, quales sunt hypochondriaci, intestina valeat inflammare, facili negotio posse sunt enodari. Cum enim ex ira, cordis systole atque arteriarum fortissima evadat, & valde augeatur; (§. 76.) sanguisque ideo majori vi ad partes, in primis illas, pellatur, quæ magno numero arteriarum, præsertim minimarum, sunt instructæ, & quæ atonia, sive laxitate, statu naturali majori laborant (princ. pathol.): Intestina vero sint ejusmodi partes, quæ magno numero arteriarum, præsertim minimarum dotatae sunt, (cap. II. §. 22.) quæque, si homo, ira correptus, fuerit hypochondriacus, relaxata sunt, atque atonia affecta (§. 35.). Ergo in illis, qui ira sunt accensi, præ reliquis ad intestina sanguis magna vi irruit & propellitur. Quo facto, major copia sanguinis in arterias minimas intestinorum intrat, quam in illas penetrare, & par fuerat. Quare illæ, ultra modum extenduntur, roboreque suo, se contrahendi, & sanguinem in illis contentum, ulterius propellantur, valde privantur. Sanguis autem, in arteriam minimam impulsus, nisi ex illa, qua in illam impulsus fuit vi, iterum expellitur, in illis subsistit, obstructionem, & stasin concipit: Accedit, quod præterea arteriæ minimæ, exigua sese contrahendi vi sint instructæ (§. 5. schol.): Adeoque si magna quantitas sanguinis ad illas propellantur, adhuc magis earum vis contrahendi imminuat (anteced.). Hæc omnia insuper augentur, quia hypochondriacorum intestina sunt valde relaxata (§. 35.); Relaxatio autem partis solidæ ipsa, jam inflammationem valet inducere. (§. 21, 22, 29, & 30.)

§. LXXVIII.

Ægrotus vero noster, cum summo animi exarserit dolore, (membr. 4. cas.) ambigua fuerit valetudinis, & malo hypochondriaco vexatus; (membr. 1. cas.) ex rationibus, de effectibus iræ in corpore humano (§. 76. & 77.) suppeditatis, inflammationis intestinorum periculum subiit.

M

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Fuerunt hæc de causis, quæ inflammationem intestinorum in ægroto nostro excitarunt, uberior a §. 19. usque ad 78. & e fide promissi exponenda.

§. LXXX.

Ordinis ratio iam desiderat quæstionem enodandam: Num signa etiam inflammationis, tam generalia, quam etiam specialia intestinorum, in ægroto nostro adparuerint?

§. LXXXI.

Signa inflammationum generalia, in nostro ægroto sese conspicienda præbuisse, est manifestum e membro quarto casus. Nam ex illo constat, ægrotum fuisse tentatum, ab ardore & spasmo, sive dolore sinistri lateris. Dolor vero & ardor, sunt præcipua signa, ex quibus inflammatio partis cujusdam aut internæ, aut externæ, potest cognosci ac colligi (§. 13.). Et quamvis reliquorum inflammationis signorum, in (§. 13.) commemoratorum, mentio in historicâ morbi expositione, non fuerit injecta: attamen in ægroto nostro eadem adtuuisse, certissimum est, siquidem illa originem suam debent, partim compressioni & irritationi nervorum, ab obstructione & stasi sanguinis in arteriis minimis ortæ, partim etiam, celeriori circulo sanguinis, ab affluxu illius majori, versu arterias minimas, quæ stasin conceperunt, (§. 7. schol. & §. 13.)

§. LXXXII.

Signa autem specialia inflammatorum intestinorum, secutis verbis expressa nobis exhibuit illustr. HOFFMANNUS in Med. System Tom. IV. Part. II. p 539: In infimo venire si ardor & dolor, cum preternaturali totius corporis astu, pulsu celeri, virium prostratione, anxietate & inquietudine sese prodit, in intestinis hec residere, merito judicandum est. Signa vero hæc specialia inflammationis intestinorum, pariter in ægroto nostro sunt deprehensa. Etenim dolorem & ardorem in infimo ventre sensit, anxietates praecordiorum est expertus, somno inquieto & turbato est defunctus, (membr. s. cas.) & febrem acutam præterea, pulsusque celerem comites habuit (§. 81.)

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

Cum itaque tum caulfæ, (§. 19. ad 78.) tum signa inflammationis quoque intestinorum (§. 81. & 82.), in ægrototo nostro fuerint obvia, merito inde conficitur, ut morbus ille, quo cum ille est conflictatus, fuerit inflammatorius intestinorum.

§. LXXXIV.

Jam vero est inquirendum: Quænam intestina, utrum tenua, an crassa, in ægrototo nostro incendio inflammationis fuerint correpta.

§. LXXXV,

Est consensus pñne Medicorum omnium conspirans, intestinis tenuibus, discrimen inflammationis instare frequentius, quam crassis (§. 17.). Signa autem inflammationis intestinorum tenuium diagnostica habentur: Symptomata illorum sunt graviora, mediumque occupant ventrem; ad superiora magis vergunt, cum stomachi distensione; angustia præcordiorum; vomitu, aut etiam ruftibus assiduis (ETTMÜLLER in *Epiome totius Medicina p 605.*). Quodsi autem crassa afficiuntur, lumborum adeat gravitas; dolor ad hypochondria magis defertur, & symptomata, in primis vomitus, & ruclus ventriculi sunt remissiora (ETTMÜLLER, l. c. p. 615.).

§. LXXXVI.

Dum autem priora illa signa inflammationis tenuium, in ægrototo nostro sese prodiderunt; (membr. 5. cas.) posteriora vero non fuerunt offendenda; consequitur, ut intestina tenuia ægroti nostri subierint inflammationem.

§. LXXXVII.

Possem equidem, ex illis, quæ in membro 6. & 7, historiæ morbi sunt præcepta; in primis vero ex eo, quod sanguis misfus, vim habuerit, stimulos doloris accutissimi aliquantulum frangendi, adhuc ulterius inflammationem intestinorum ægroti nostri elicere. Verum quia hoc jam partim facit, sufficenter que est evictum; partim haec ita sunt constituta, ut cuiuslibet, notitia medicamentorum qualicunque instructus, usumque V. S., in morbis præcipue inflammatoris perspectum habentis, intelligentiæ apertissimum sit, ac promptissimum.

M 2

§. LXXXVII.

§. LXXXII.

Priusquam autem in exitum inflammationis intestinorum, nostrum quæ afflixit ægrotum, mentem dirigam, præmonendum adhuc censeo, huic inflammationi intestinorum, majus semper augmentum, novasque stases & obstructions arteriarum minimarum, in intestinis accessisse. Primum, quia ægrotus, sub ipsis morbi insultibus, sese committerit aëri nebuloso, humido & frigido (membr. 8. cas.). Nam aëris frigidus, nebulosus & humidi effectus in corpus humanum, quam maxime inter se convenient. (princ. pathol.) Quare est factum, ut inflammatio semper majus cepere augmentum, ob rationes de noxis ex aëre frigido (§. 74.) propositas. Deinde diarrhoea, per totum morbi decursum, non potuit retardari (membr. 8. 9. 10. 11. cas.): Inde vero inflammatio intestinorum in ægrotu nostro validius est aucta (§. 71.). Tum animus ejus, morbo durante, denuo ira exacerbavit (membr. 9. cas.). Inflammationi itaque ægroti nostri, ex his animi stimulis iterum incrementum accessit (§. 76. & 77.).

§. LXXXIII.

Cum vero ob dicta (§. 87.), inflammatio intestinorum in ægrotu nostro progrepta sit ulterius, novæque stases & obstructions in arteriis minimis intestinorum accesserint; ex his contigit, existimo, ut fibre nervae intestinorum, valde fuerint compressæ, irritatæ, arrosoæ: Unde epilepsia illa, qua ægrotus noster, 24. horarum spatio, quatuordecies tentatus fuit miserime; & motus illi intestinorum convulsivi, (membr. 9. cas.) originem suam duxerunt.

§. LXXXIX.

Postquam itaque hæc pro certis posuimus, ad mentem jam meam de exitu inflammationis intestinorum, nostrum quæ ægrotum cruciavit, progrediendum erit.

§. XC.

Modum vero & rationes, quibus quælibet inflammatio, sive interna, sive externa, ad finem perducatur, jam exposui in
(§. 14.)

(§. 14.). Per singula ideo exitus inflammationum genera decurram, contemplaturus, quemnam ægrotus noster expertus sit modum.

§. XCII.

Effet mihi tota conscribenda Dissertatio, si omnia hic occurrentia, & evolvenda, præsenti scriptio[n]is generi vellem infondere; sed in præsenti tantummodo quædam huc facientia, & que stabilunt sententiam meam, de modo, quo ægrotus noster, partem quandam intestini tenuis, per alvum excrevit, tradam atque proponam.

§. XCII.

Discussio sive resolutio sanguinis, arterias minimas obstruens, statosque in illis conceptæ, primus est modus, quo inflammatio quælibet finitur. Contingit hicce, si humor fluens, blandus, motus ejus sedatus, causa obstruens non nimis solidata, obstructio parva, eaque in primis in arteriis, vel initii lymphaticorum; canales mobiles; diluens vehiculum; reducto fluore concreti, motu stagnantis (*BOERHAVE in Aphorism. de cognoscend. & curand. morb. §. 380*). Discussio autem peragitur quam maxime, partim ope affluxus sanguinis inflammatorii, partim etiam vi actionis obstructorum vasorum. Nam per affluxum illum sanguinis inflammatorium; ille cohærens, & statim possus, sanguis continue humectatur, versus se impellitur, conquassatur, & in motu continuo conservatur. Per actionem vero vasorum, partes sanguinis in arteriis minimis subsistentes, comprimitur; contra putridinem muniuntur, & reciproce, mutuoque conquassantur. Hisce cohæsio illius tollitur, partes attenuantur crassiores, tandemque minime adeo redduntur, ut per venas partim, partim per vasa ferifera, sive serosa lateralia possint penetrare.

§. XCIII.

Quia vero his (§. 92.) factis, statis & obstructio imminentur, affluxus etiam sanguinis inflammatorius evadere debet debilior; quo autem redditio debilior; aut plane cessante; necessario symptoma, inflammationem concomitantia, tolli, sanguisque eodem iterum, quo in statu naturali, motu agitari debet.

§. XCIV.

§. XCIV.

Si autem discussio inflammationem consequitur, accedere illa debet, die quarto, ad summum, septimo (§. 14.); hocce autem termino præterlapsa, discussionis spes evanescit. [princ. pathol.]

§. XCV.

Signa, e quibus cognosci possit; num discussio sit facta, sunt abolition omnium symptomatum, inflammationi familiarium (§. 93.), & quidem quarto, ad summum, septimo die. (§. 94.)

§. XCVI.

Discussionem vero inflammationis intestinorum, in ægrotto nostro non esse factam, Historia morbi docet ac testatur. Symptomata enim non decenti tempore fuerunt sublata, sed morbi duratio transgressa est mensem, & quod excurrit. [per cas.]

§. CXVII.

Alter modus, quo inflammations finiuntur, est suppuration; quam optime delineavit BOERHAVE §. 386. hunc in modum: *Si humor fluens blandus, motus citatus; obstru^tio magna, nec resolvi potens, auctis symptomatibus, vascula distenta, rupta, cum dolore, calore, pulsu, tumore, liquores suos effundunt, solvunt, purefaciunt leviter, solidia tenera auferunt, solvant, fluidis miscent, in unum similem album spissum, glutinosum humorum, pri dictum.* Etenim per continuum affluxum sanguinis, obstru^tio arteriæ minimæ, ita expanduntur, ut vis illarum, se se contrahendi omnimode perdatur, ideoque in sanguinem, qui stasis concepit, virtutem suam non exserere, nec effluxui illius possint resistere. Quare in obstru^tis vasis, sanguinis motus intestinus augetur; quo aucto, naturalis mixtio sanguinis tollitur; corruptio illius non solum consequitur, sed vase etiam, quibus obstru^tio & stasis sanguinis fuit inducta, emolliuntur & perroductur; sanguinisque oritur extravasatio: Sanguis autem extravasatus, multis si particulis pinguibus & lymphaticis partibus fuerit praeditus, aut illis commiscetur; ex hoc in perrosis vasis, generatur materia quedam, cinerea, alba, crassa, quæ pus vocatur.

§. XCVIII.

Quando suppuration est facta, dolor, præcipue vero ardor, remittit.

remittunt. Experientia hoc quotidiana comprobat, si etiam tantummodo levis quædam inflammatio in dito quodam contigerit. Nam quamdiu viget affluxus sanguinis inflammatorius; & tumor inflammatorius colorem adhuc præ se fert rubeum, tam diu ardor & dolor vim suam exercent. Simulac vero tumor ille factus fuerit mollior, & color rubeus mutatur in album, dolor præcipue vero ardor remittunt; quibus factis, cognoscitur, tumorem illum inflammatorium in pus abiisse. Eodem se habent modo inflammations partium internarum, uti manifestum est, in peripneumonia, pleuritide, hepatitide, splenitide. Nam si hæc inflammations abeunt in abscessum, dolor & ardor, qui adfuerunt antea, plane imminuuntur.

§. XCIX.

Quia vero nec dolor, nec ardor intestinorum, in ægroto nostro plane remiserunt (per cas.); ex his inferri potest, nec etiam suppurationem in ægroto factam esse.

§. C.

Posterior, quo inflammations terminantur, modus est Gangræna & Sphacelus. Prior accidit, ubi inflammatio præcessit magna; symptomata inflammationis fuerunt fortissima, nec discussio, nec suppuration, est facta; sanguis ægri impurus, crassus, & acer est: valde idem movetur; vaſa sunt aut rigida & relaxata: quibus factis, illa subito rumpuntur, arroduntur; discontinuantur; liquida in illis contenta, & ex iis effusa, putreficunt; ichoris color efficit cinerius, pallidus, fusca, ater, rubor, dolor, calor, pulsatio in loco affecto desinunt, in vicinis obtinent. (BOERHAVE Lc. § 388.) Hæc nisi imminuuntur, aut plenarie abolentur, pars illa, quæ gangrænam experitur, omnimode corruptitur, emoritur, fœtorem putredinosum & tetterimum spargit, coloremque ex fusco nigrum præ se fert; omnis sensus & motus perit, & tandem a sana & illæſa parte, nisi exspiraverit æger, sua sponte decidit ac separatur: quibus evenientibus, adesse dicitur sphacelus.

§. CI.

Cum itaque inflammatio intestinorum in ægroto nyojo
satis

satis magna, atque symptomata ejusdem apparuerunt fortissima; (anteced. ut & cas.) nec discussio, (§. 96.) nec suppuration, (§. 99.) sunt factæ, sanguis ægroti fuit impurus, crassus & acer [antec.]; valde exigitatus; partim ab affluxu sanguinis versus stases, in arteriis minimis offendendas (§. 7. Schol.); partim ab ira, (§. 76.) qua ægrotus sub ipsa morbi duratione exarsit vehementius [membr. 9. cas.]; vasa fuerunt rigida ac relaxata, ob nimiam illorum expansionem, a sanguine, qui stans in illis est passus, producetam (princ. pathol.): Exinde consequitur, gangrenam huic intestinorum inflammationi accessisse. Hicce autem non sublata, omnibus symptomatis continuatis, (per casum), sphacelo denique partis intestini, inflammatione correptæ, morbum huncce sibi exitum quæsivisse, suo unusquisque assensu probabit.

§. CII.

Hæcce autem revera ita in ægroti contigisse, e membro X. casus manifestatur; ex quo constat, partem quandam intestini eum excreuisse, cumque hac excretione foetorem gravissimum & maximum, effluxumque materiæ badiei coloris foetorem pariter putridum reddentis, fuisse conjunctum. Denique & his addendum, quod æger, quatuor post excretionem diebus elapsis, filaments emiserit intestinorum, putredine corruptorum. Cognoscitur ex his sphacelus partis cuiusdam solidæ, aut internæ, aut externæ (§. 100.), docentque omnia, quæ ægrotus noster est expertus, symptomata, inflammationem intestinorum, hocce modo confectam fuisse, pariter atque finitam,

§. CIII.

Postremus equidem restare adhuc modus, quo inflammations finiuntur, puta scirrhus. Enim vero, quia ille partim plerumque tantummodo consequitur partium glandulosarum inflammationem; partim quoque jamjam evici, quod inflammationi ægroti nostri intestinorum, finem gangrena imposuerit, & hanc sphacelus exceperit; (§. 101. & 102.) enodan-dis causis, scirrum producentibus, signisque, quibus is cognoscatur, recensendis nolui immorari.

Cap. IV.

CAP. IV.

*Tradens Rationes, pro Intestino Excreto
facientes; & quo modo Excretio ejusdem, salva
Ægroti Vita, acciderit; ac cuius Inte-
stini Pars sit habenda.*

§. I.

In ægrotō evenit, ut pars intestini superior, in alte-
ram inferiorem intraverit, & ab illa fuerit suscepta.

SCHOLION.

Cum in capite antecedente fuerit demonstratum, ægrotum, ob
affectionem hypochondriacam; (§ Cap. III. §. 35.) diætam male ser-
vatum (Cap. III. §. 46 & 52.); diarrhoeam denique (Cap. III. §. 71. &
72.), qua brevi tempore ante, quo morbo hoc decubuit, fuit exerci-
tus, (membr. 4. cas.) multis spasmis, flatulentis, & crebrioribus [con-
tractionibus, & relaxationibus] intestinorum, expositum fuisse; per
hæc accidit, ut pars intestini superior, si illa aut spasmo, aut vi di-
arrhoeæ, fuerit constricta; pars vero inferior, a flatulentis in illa con-
tentis; & ob compressas, a constringione in parte intestini superiori, fi-
bras nerveas, fluidum nerveum non sufficienti copia potuerit in par-
tem intestini inferiorem intrare; fuerit relaxata & expansa; in par-
tem intestini inferiorem, expansam & relaxatam, intraverit, suscep-
ta que fuerit. Hic introitus, sive intus-susceptio superioris intestini, in
inferius, duobus adjuvari potuit mediis. Primo enim potuit acci-
dere, ut pars intestini, quæ a tergo secuta est partem intestini, cui
intus-susceptio contigit, pariter fuerit expansa; vique hujus expan-
sionis, partem intestini constrictam, premere, motumque & ingressum
partis intestini constricti, in alteram expansam & ampliatam partem
intestini promovere valuerit. Deinde actio diaphragmatis, respiratio-
ne interveniente, pariter ad hunc ingressum faciliorem reddendum, suam
operam conferre potuit. Hoc namque sub inspiratione, ex situ, quem
antea versus pectus habebat concavum, in planum convertitur, & ita

N

contenta

contenta abdominis, a parte superiori versus inferiorēm, premit, atque protrudit diaphragma (Cap. II. §. 27.). Protrusis itaque sub inspiratione a diaphragmate, verius inferiora contentis abdominis, adeoque & intestinis, fieri potuit, ut etiam hac pressione diaphragmati, pars intestini constricta superior, in expansam & ampliatam partem inferiorem intestini sit impulsa, & ita intus-susceptio facta fuerit.

§. II.

Hoc modo, (§. 1. Schol.) ingressu & intus-susceptione, partis superioris intestini constricti, in partem inferiorem intestini expansam, ampliatam, & relaxatam facta; eadem majori fuit aucta gradu, secuta constrictione & relaxatione reciproca, partis intestini antea expansi & ampliati, atque in quo intus-susceptio est facta.

SCHOLION.

Intestina enim sunt partes solidae flexibles, molles (Cap. II. §. 1); adeoque gaudent tono, (Cap. I. §. 11 Schol.) & motu tonico. (Cap. I. §. 18.) Hicce vero motus tonicus in illis perficitur actione fibrarum longitudinalium & circularium, (Cap. I. §. 21.) quibus tunica intestinalis musculosa est praedita. (Cap. II. §. 19.) Constrictione enim fibrarum circularium intestini facta, in quo intus-susceptio accidit, cavum ejusdem fuit imminutum: (Cap. I. §. 21.) Adeoque pars intestini superior, qua in illo introitum sibi paravit, ulterius quasi in illud pulsata est atque delata. Nam, pars intestini, si qua constringitur, illud, quod in illis contentum est luidum, aut aliud corpus ulterius propellitur, & fertur. (Cap. I. §. 21.) Relaxatione autem fibrarum harum facta, & constrictis fibris longitudinalibus, cavum hujus partis intestini iterum fuit auctum. (Cap. I. §. 21.); atque partim ob pressionem intestini, partem cui intus-susceptio contigit, a tergo sequentis (§. 1 Schol.); partim ob pressionem dia phragmati; (§. 1. Schol.) pars illa intestini jam jam ingressa, in illam ampliatam partem intestini inferioris (anteced.), majori ei impulsa. E quibus potest intelligi, quare tam longa intestini pars, ab ægrotō sit excreta.

§. III.

§. III.

In loco illo intestini, in quo pars superior intestini, in partem inferiorem penetravit, factum est, ut, in illo duplex intestinorum substantia, quasi in unum convenierit; sive, ut margo duplex, ex intestino suscepto, & in quo susceptio facta, ibidem sit ortus; quem mihi liceat vocare NODUM.

SCHOLION.

Nam si intestini cuiusdam, ex cadavere humano, aut alio quodam animali, sumti, partem superiorem in inferiorem, intrudamus; in illo quidem loco, in quo est intrusio administrata, duplex reperitur intestinorum substantia; altera scilicet, que est intrusa, quæque respicit cavum internum intestini, in quod intrusio est facta; hujus vero substantia est altera, quæ in loco illo intrusionis offenditur. Eodemque modo comparatam fuisse intus-fusceptionem intestinorum egroti, reputo atque existimo.

§. IV.

Atque in hunc nodum (§. 3), inflammationem maxime omnium, vim suam exercuisse, certum est; quæque in illo aucta fuit nodo, ab attritu, & compressione, duplicitis illius substantiæ intestinorum (§. 3.) inter se; partim ab illa ipsa, partim etiam a reciproca contractione & relaxatione partis intestini, in qua intus-susceptio producta fuit.

§. V.

Nam ab his (§. 4.) dictis, vasa sanguifera in nodo illo, ab intus-fusceptione intestinorum ortus qui fuit, valde fuerunt compressa, & obstructiones, stasisque sanguinis in illis fuit secura; qua stasi, nec ope discussonis, (Cap. III. §. 96.) nec suppurationis (Cap. III. §. 99.)

100 Cap. IV., Tradens Rationes, pro Intestino excreto facientes;

sublata, nec intus-susceptione illa intestinorum remota, durante etiam constrictione & relaxatione substantiæ superioris intestini continua; non potuerunt non in illo nodo, a duplice substantia intestinorum orto, (§. 3. Shol.) gangræna & sphacelus (§. 100. & 101.) in ægrotum fure ac graffari.

§. VI.

Gangræna & sphacelo in illo nodo sævientibus, pars substantiæ illius intestini suscepti, sensim sensimque ab illa parte intestini, in qua intus-susceptio facta est, fuit separata; atque hac separatione omnimode facta, in intestinis se-cutis libere fluctuavit: libere eadem in intestinis fluctuans, vi motus tonici, & præsertim constrictione fibra-rum circularium tunicæ musculosæ, (Cap. I §. 23.) ex uno intestino in aliud est delata, & tandem omnimode ex illis ejecta.

§. VII.

Ejectio illa partis intestini promota, majorique vi fuit peracta, per spasmos convulsivos intestinorum, quos ægrotus noster fuit perpessus (memb. 9. cas.). Constat namque, esse motuum convulsivorum eam naturam atque indolem, ut motus tonicus, partis illius, quæ motibus convulsivis agitatur, ab illis augeatur & fortissimus evadat. (princ. pathol.) Motus itaque tonicus intestinorum, a spasmis etiam illorum convulsivis, valde amplificatus; fortiorque fuit reditus. Cum vero contenta in intestinis, a motu tonico in illis aucto, majori vi, & celerius e corpore ejificantur; pars vero intestini, sphacelo ab illis separata,

ta, in intestinis fuerit contenta; illius etiam excretio, motibus illis convulsivis promota, majorique vi fuit peracta.

§. VIII.

Observationes tandem, ejusmodi argumenti, quamvis rarissimæ, in auxilii etiam partes possunt vocari, ad probandam possibilitatem excretionis intestini per guttum inferius, ita quidem, ut secuta aut sit mors; aut vita ægri fuerit servata.

SCHOLION.

Hæ quia sunt observationes rarissimæ, simulque, illa præsertim, quam primo sum suppeditaturus loco, præsentem casum eximie illustrant, hic inferendas esse exstimo, operæque duco pretium.

Prima est reperiunda observatio, in *Ephemerid. Nat. Curios. Dec.* III. Anno III. p. 227. sequent., quamque Dn. D. JOH. PETRUS ALBRECHT fecutis comprehendit verbis: "Quatuor abhinc annis, miles quidam hujus urbis, Johani Lärnemeyer vocatus, vir quadragesimus forte atatis annum agens, complexionis alias fatis robustæ, æstivo tempore, postquam litibus antea abortis, in platea ab adversario humili prostratus, pedibusque insigniter calcatus esset, per aliquot septimanias de atrocissimis abdominis cruciatibus conquestus est, molestissimisque alvi constipationibus saepe laboravit, ut nonnunquam propter continuos vomendi conatus morbi iliaci periculum subire viseretur. Ab hoc quidem, variis a mulieribus & medicis, quorum opera utebatur, exhibitis, præservatus, vix tamen unquam dolorum aliquod sensit levamen, qui constanter in ægroti viscera sevientes, mox animi deliquiorum, fudoris frigidi, mox aliorum malorum extiterunt auctores. Cum igitur plures dies in hocce miserabili statu transfigisset, ac cunctis incassum usurpatis, animam Deo commendasset, fatum suum patienti animo expectans, mirum sane id prodidit in scenam: Qui enim antea ex difficulti alvo multum perperitus erat, subito eandem lubricam, & in diarrhoeam proclivem fentiebat.

"Frequenti hac alvi dejectione paulo post iterum in pertinaees mutata
 "obstructiones, fenit quidem, in intestino recto peregrinum aliquod
 "hærere corpus, sui excretionem valde urgens, at omnes egerendi
 "labores fuerunt inanes, cum quantopere etiam niteretur, ipsiusque
 "excretionis actum, inhibita ad tempus respiratione, fortiorique ab
 "dominis compressione adjuvare tentaret, nihil tamen ejicere posset.
 "Pertusus interim ægrotus hujus molesti hospitis, in tali commorantis
 "loco, qui merito sanis suo tempore patere debet, inter egerendi la
 "bores dextra manu posteriora scrutatur, dumque portiunculam quan
 "dam ex ano propendentem observat, illam ultima tentaturus manu
 "prehensam fortiter attrahit; quo ipso facto, expulsive simul adju
 "vante virtute, se se onere illo, quod tam diu ibidem latitaverat, feliciter
 "citer liberat, cum quo sanguinis & puris notabilem quantitatem una
 "prodissse viderunt omnes Ego quam primum de eo per solertia
 "num hujus loci chirurgum, M. ARNOLDUM Gößling certior
 "factus sum, statim ipsius ægroti adii domicilium, inque omnia dili
 "genter inquirens, ejectam massam uti mihi monstrarent, petii; quam
 "in patina conspectui meo oblatam atque foribus praemissa lotione
 "purgatam, nil aliud esse vidi, quam fistulae intestinalis frustum, spi
 "thamæ, & quod excurrit æquans longitudinem, cujusque extre
 "mitates inflammationis gangrenosæque corruptionis certissima ostendebant indicia. Exterius omenti quedam portio ipsi adnata esse vi
 "debatur. Interiorem mihi porro ejus faciem lustranti, in altera ex
 "tremitate membrana illa circularis, quam valvulam vocant Bauhini,
 "quamque fæcum & flatuum remoram statuunt Anatomici, occur
 "rebant, sua præsentia sufficienter, qualis in specie intestini pars ej
 "cta sit, ostendens. Summa cum animi admiratione hisce a me visis,
 "non potui aliter, quam ægrotum mox ad plures abiturum, prædicerem,
 "imperataque ab uxore ejus post mortem corpus aperiendi licentia,
 "cum prædicto Chirурgo omnia ad interiora ejus lustranda præpara
 "rem, anxie ex propolita anatomie pleniorum insoliti hujus casus de
 "lineationem expectans. Verum præpollebat & hic divina voluntas,
 "resque multo secus eveniebat, quam conjecturis meis eventura vide
 "batur. Altero enim mane ad ægrotum revertens, illum, quem ex

^{"gan-}

“græna intestinorum semimortuum me deprehensurum, vix antea dubitaram, alacrius multo ac heri viventem inveni. Nox ipsi non adeo fuerat inquieta, pulsus jam robustior, appetitus mediocris, sic, ut oblatum juscum non nimis recusaret. Spe sic sepulta jam quasi fatutis revividente, nihil intermittendum putavi, quod, si Deo ita visum foret, ad sanandum hunc hominem pertineret: Unde selectioribus decoctis Traumaticis, mucilaginosis, lubricantibus, & aliis, a quibus ipsi aliquid commodi accedere posse putabam, curationem aggressus sum. Sed scrupulus non levis mihi obversabatur, dum initio comprehendere non poteram, quomodo talia decocta, totam intestinorum fistulam permeare posseant, a quibus potius metuendum esse judicabam, ut per aperturam a separato intestini frustulo relictam, in abdominis penetrarent cavitate, nonque parum molestia excitarent. Interim hisce non deterritus, in propolito persititi, cui quoque non defuit fortuna. Etiamsi enim agrotus primis tribus diebus, praeter pauca phlegmata purulenta nil quicquam per alvum excerneret, quarto tamen die dejectiones apparuere naturales, quas semper, quoties ipsi notabilem olei amygdalarum dulcium portio nem cum pinguedine canina in cerevisia calida absorbendam dedi, promovere potui ita, ut ex effectu demum concludere licetum esset, fistula intestinalis in parte lœsa, si forsitan separatis quedam exstifsent extremitates, eas firmiter jam iterum conglutinas, corpus continentium constituerem. Cæterum non adeo gravibus hic ægrotus, quamdiu sub mea erat eura, obnoxius fuit symptomatibus, quorum præcipue in dolore abdominis, illo tamen, quo ante frustuli intestinalis abjectionem excruciatibatur, minori consistebat, quem semper exhibito oleo amygd: dulcium eum dicta pinguedine, remissiorem sentiebat. Interdum quoque intestina in unum quasi globulum contorneri videbantur; quod accidens, ut itidem primis post ejectionem frusti illius særissime contingebat, sic paulatim non solum evanuit, sed ipse miles, cum diligenter & haud interrupto filo medicamentorum usui inhæret, ex iis in tantum proficit, ut a molestissimo & forsitan inaudito malo paulatim reconvaluerit, ac recuperata membrorum firmitate militia se iterum addixerit, secesseritque cum aliis

“copiis

"copiis in Brabantiam belli fortunam ibidem experturus; cetera.

Altera itidem est invenienda in *Ephemerid. Nat. curios. Dec. III.*
Anno quinto & sexto pag. 409, 410, 411. & 412. quamque hunc in modum Dn. D. GEORGII FRANCUS DE FRANKENAU, memorie prodidit: "Laborabat vir Juvenis 24. annorum quatuordecim diebus febre continua, non admodum sensibili, contumaci alvi adstrictione, & doloribus multis colicis, siti, &c. an vitio diætae, an alio modo contractum fuerit hoc malum, ignoro. Ingravescente morbo indies, Medicum prætereuntes, anum Mediciastram consulunt; quod genus hominum uti alias nunquam otiosum esse solet, ita statim operolum se exhibuit, catharticum ex officina petendo, cuius non minima basis fuerit, Gummi Gottæ, pharmacum potenter hydropicorum aquas evacuans & colicis torminibus maxime ad versum, isti cum primis morbi syndrome, tantum ut ipse malum sibi cacaret æger, pessime sanitati sue consulens. Quemadmodum vero malum consilium consultori pessimum esse solet, teste HESIODO, & ex eo GELLIO, ita & hic mentiri potuit minime regulai nam dato uno absurdo pharmaco, absurdii plures subsecuti sunt errores. Alvus bis (ut agunt) commota fortiter & dolenter, simul vomitiones continuas, biliolas enormes accersivit, vitam & vires in præfentissimum adducentes periculum.

"Nunc demum Medica implorabatur manus, ubi vires omnes attritæ, resque versatur in angusto, ut citissime ferret opem, motusque illos intestinos & hypercatharses coliberet; sed nimis fero medicina parabatur; ægritudo enim austior, omnem Medicorum eludebat spem & operam, cum vitam postero' die cum morte commutaret, postquam paucis ante obitum horis, dolore epigastrri immanni, sedibus copiosis cruentis, & cum iis abscedente intestini tenuis simul parte, affligeretur, unde iam se mox liberatum iri clamaret, sed frustra, nam superveniens gravissimum animi deliquium optimi sanguinis & nativi caloris perditio, cum motibus convulsivis, pausam vite imposuit.

Postrema denique tradita atque proposita est a RIEDLIÑO in *Lineis Medicis p. 725.* hacce verborum circumscriptione: "Anni jam plus res præteriere, quod rustica quadam in pago ditioni Dni. de Freyberg sub-

subiecto habitans, ab hernia, quam prorsus neglexerat, in obstrictio-
nem alvi incidit, tam contumacem & tantis slipatam doloribus, ut
propterea in lecto se detinere opus haberit; accessit brevi post
Iphacelus, quo mediante sparata cute, carneque intestinorum in ab-
domine apertum ibi faeces deponere cepit, quae cum narrasset ejusdem
maritus dicto chirurgo, istum minus adhuc exercitatus, nil nisi mor-
tem expectandam esse, dixit, & propterea quoque absque medicamen-
tis eundem demisit, nec misera aliud quam mortem expectavit, &
hinc nec minimam tanti abscessus curam gesit, sed in primis haud
penitus desperans, cum haud parvam intestini partem per viam con-
luetam deposuisset, quantum vero hoc eandem peterruit, tantum eidem
profuit, ex illo enim tempore nil quicquam ulterius per alvum depo-
luit, ac & separatis penitus emortuis in abdomen partibus, ulcu-
sponte mundatum, hinc inde coalescere cepit, & tandem ad cicatri-
cem fuit deductum, ut non nisi foramen quoddam reliquum fuerit,
per quod in hunc usque diem faeces deponit, intestinorum aliquantu-
lum exturbante, & postmodum sedem suam antiquam occupante; vi-
vit tamen adhuc sana, nec nisi de hac molestia quod conqueratur, vel
minimum habet, licet alvus plane sit occlusa, & ab opere suo consue-
to omnino serietur. "Mentio quoque est, injecta *in Actis Erudit.*
Lipf. Anno 1706. p. 265., de femina quadam, qua portionis intestini Ilei-
tantam jacturam fecit, ex superveniente sphacelo, ut illa quatuor, vel
quinque pedes æquaret; nihilo tamen minus haec femina mortis fau-
cibus fuit erecta, opera Medici cuiusdam Galli, MERY; qui que han-
ce observationem *in Histoire de l' Academie Rojale des sciences, Annee*
1701. stylo signavit prolixiori.

§. IX.

Ostensuro autem mihi, cuiusnam intestini, num te-
nus, an crassi, fuerit pars, primo omnium expedien-
dum esset, num etiam verum fuerit intestinum? de quo
multi dubitarunt. Verum enim vero non est, quod rem
ex alto repetamus; quippe cum criteria, pro vero inte-
stino pugnantia, jam e responso magnifici & gra-

O
tio.

106 Cap. IV., Tradens Rationes, pro Intestino excreto facientes,
tiosi ordinis Medicorum Gryphiswaldenium, in Hi-
storica morbi expositione, membro 15. jam exposita sint
ac tradita.

§. X.

Extra omnem itaque controversiam hoc posito,
veram, non fictam fuisse partem intestini, ab ægrotō no-
stro excretam; ob rationes (§. II.) afferendas, in eam in-
ducor opinionem, fuisse illam e numero tenuum, &
quidem in specie, illorum in ordine secundi, nempe
jejuni, forte & ilei. (§. 12.)

§. XI.

Nam cum 1) (Cap. III. §. VI.) argumenta non solum
rationibus stabilita, suppeditaverim, iisque evicerim,
intestina tenuia, frequentius inflammationi & aliis in-
juriis, esse exposita, sed etiam experientiam simul alio-
rum adduxerim; 2) Parti intestini excreti cum adhæ-
serit portio mesenterii, multæque insuper in ea deprehen-
sæ sint valvulae intestinorum conniventes; consequitur
ex his, ut ægroti nostri intestina tenuia inflamma-
tions periculum (Cap. III. §. 86.) sustinuerint, & intus-
susceptionem fuerint experta. His robur adhuc majus
adjicitur, e præsentia portionis mesenterii, & valvula-
rum multarum conniventium, in parte intestini excre-
ti interna. 1) Namque mesenterium tantummodo in-
testinis tenuibus, præsertim intestino jejunō & ileo;
quoad sc. partem inferiorem est annexum; (Cap. II. §. 33.)
cum e contrario crassa, præcipue colon & rectum, an-
nexa sint productionibus mesenterii quibusdam, quæ
mesocolon & mesorectum vocantur. [Cap. II. §. 33.]
2) Val-

2) Valvulae quoque conniventes inveniuntur copiosissime tantummodo in tenuibus intestinis; in crassis vero paucæ saltem deprehenduntur. (Cap. II. §. Schol.)

§. XII.

Postquam itaque fuit demonstratum, portionem intestini, ab ægroto excretam, e numero fuisse tenuium, jam quidem ordinis ratio postulat demonstrationem, quorumnam intestinorum tenuium pars illa fuerit excreta.

§. XIII.

Docent hoc intestinorum proprietates, in Cap. II. delineatae. Nam 1) partem duodeni intestini illam non fuisse, vel ex eo patet, quoniam ab ejus proprietatibus (Cap. II. §. 4. & 5.) exhibitis, recedit longissime. 2) Quodsi autem proprietates intestini jejuni (Cap. II. §. 6. & 7.) recensitæ, cum parte intestini excreti conferantur, & comparatio inter illas instituatur, sua emergit sponte, partem intestini, ab ægroto nostro excretam, jejuni partem fuisse. 1) Namque illi adhæsit adhuc portio mesenterii; mesenterium vero, in primis cum intestino jejunio, est connexum. (Cap. II. §. 53.) 2) Copiosissime in illa obviae fuerunt valvulae conniventes, quæ tamen in jejunio adeo copiosius inveniuntur, quam in nullo alio intestino. (Cap. II. §. 7.) 3) Multæ in eo glandulæ miliares, sive solitariæ conspectæ sunt, quarum magna pariter offertur copia in jejunio. (Cap. II. §. 7.) Quia autem admodum difficile est, certum finem jejunio, & certum principium ileo collocare, (Cap. II. §. 9.); ob rationes ibidem allatas, poruit contingere, ut forte in-

testinum, ab ægroto excretum, fuerit pars ilei, & quidem ejusdem principii. Cum namque numerus valvularum conniventium, in ileo, quo magis ad finem tendit, decrescat; haec vero in intestino excreto adfuerint copiosissime; perspicuum inde efficitur, fini hujus intestini illud non posse adscribi, ac vindicari,

§. XIV.

Ad partem denique intestinorum crassorum, intestinum excretum non posse referri, manifestum sat est, partim ex antecedentibus, partim etiam ex collatione & comparatione hujus cum intestinis crassis. Etenim primo cœcum illud non fuisse, patet partim exinde, quia, cum criteriis cœci, (Cap. II. §. 12.) & ad illud pertinentibus, (Cap. II. §. 10. & 11.) adductis, nullam habuit similitudinem; partim etiam, quia longitudine cœci, longe postponenda est longitudini intestini excreti.
 2) Colo non adscribi posse, conspicuum vel inde est, quia criteria illius, non consentiunt cum criteriis, de colo, suppeditatis. (Cap. II. §. 13.) 3) Rectum denique non posse reputari, elucescit partim ex his, quia proprietates intestini recti (Cap. II. §. 14.) subministratas, non sustinuit, atque illud excretum longitudinem intestini recti multum excessit.

§. XV.

Exposituro igitur mihi, qua ratione sit factum, ut excretio partis intestini in ægroto nostro, fuerit perfecta, salva, & superflite ejus vita; ante omnia erit largiendum, separationem totius partis intestini suscepiti, a suscipiente, neutiquam omnimode, & uno eodem que.

que tempore, & simul esse factam. Hoc enim non contigisse, vel ideo certum est, quod non solum toto durante morbo, & post excretionem intestini, alvum semper habuerit apertam; (per cas.) sed etiam, uti ex ore venerabili illustr. LEMBKENII, percepit, passulas corynthiacas minores, quas comedit ægrotus, excretione illa partis intestini jam facta, totas & indigestas per alvum reddiderit. Quæ quidem omnia fieri haud potuissent, si fistulæ intestinalis continuitas, omnimode, uno eodemque tempore, & simul fuisset sublata. Tunc enim non solum, quæ durante morbo, gangrænaque ac sphacelo jam furentibus, assumptæ ægrotus, tam alimenta, quam medicamenta, nec non fæces; sed hæc etiam, parte intestini jam excreta, non in intestinis ulterius fuissent promota, & ex illis ejecteda, sed potius per vulnus, intestinis a separatione illa partis intestini infictum, in abdominis cavitatem fuissent delapsura, quin vitæ potius finis adfuisset. Contrarium vero in morbi Historia fuit edoctum, expositumque.

§. XVI.

Quare ego quidem putaverim, quod gangræna & sphacelus, primum tunicam externam, sive primam partis intestini suscepisti, invaserint, atque his intervenientibus, a tunica prima intestini suscipientis, & illæsi fuerit sparata. Qua separatione facta, in loco, quo separatio evenit, fibræ membranæ primæ intestini, a tergo secuti, illæsi, cum fibris membranæ primæ partis intestini suscipientis, iterum fuerunt conglutinatæ.

O 5

Fi-

uo Cap. IV., Tradeūs Rationes, pro Intestino excreto facientes,

Fibris itaque membranæ primæ intestini suscipientis, & illius, a tergo sequentis, conglutinatis & unitis; separatio membranæ secundæ intestini suscepti a suscipiente, & conglutinatio fibrarum membranæ secundæ intestini, a tergo sequentis, eodem, quo in tunica prima, facta est modo; & sic in ceteris membrariis res sese habuit.

§. XVII.

Ex hisce itaque potest intelligi, fistulæ intestinali semper manisse aliquam continuatatem, & hac subsistente, concoctio ciborum, excretio alvi & fæcum, semper potuit peragi.

§. XVIII.

Conglutinatio autem fibrarum, membranas intestini suscipientis cum illo a tergo seuti, constituentium, sequenti modo fuit progenita; separatione membranæ primæ partis intestini suscepti, a membrana prima intestini suscipientis producta, ex arteriis sanguiferis & lymphaticis hujus membranæ primæ, a separatione quæ fuerant sauciatae, exstillaverunt guttulæ, quæ in illis contentæ fuerunt lymphæ nutrititiæ, (Cap. I. §. 25) vique cordis & arteriarum ad illas delatae. (Cap. I. §. 26. & 27.) Hæ guttulæ lymphæ nutrititiæ, cum fibris membranæ primæ intestini a tergo sequentis, cohæserunt; & quia semper major quantitas lymphæ nutrititiæ ex arteriis lymphaticis, continuante circulatione sanguinis, & actione propria arteriarum lymphaticarum, fuit exstillata; hæc cohæsio guttularum lymphæ nutrititiæ fuit aucta, semperque altera guttula

lym-

lymphæ fuit impulsa, versus alteram; tandemque, quia
hac exstillatione lymphæ continua, guttulis lympham
nutrititiam constituentibus, firmior cohaesio fuit indu-
cta, numerusque punctorum contactus, productus
est major; ex illis progenitum est tale corpus solidum,
quale fuit, cum quo hæ guttulæ cohaeserunt. (Cap. i. §. 3.
Schol.) Cum igitur lymphæ nutrititia, hic cohaeserit cum
fibris intestini suscipientis, & quidem membranæ illius
primæ, & fibris membranæ primæ a tergo sequentis
intestini, eademque sit illa materia, quæ corporis no-
stræ solidas partes nutriat, illaque, quæ in illis deperdita
sunt atque amissa restituat (Cap. i. §. 23. Schol.); hæcque
fiat restitutio, si conditiones, (Cap. i. §. 28.) adducantur,
in parte solida adfuerint: hæ vero omnes in fibris
membranæ primæ intestini suscipientis, & a tergo se-
quentis expleantur: patet inde, illis etiam restitucionem
particularum deperditarum, & amissarum esse factam.
Qua eveniente, sublata continuitas in intestinis restitu-
ta, & conglutinatio fuit peracta. Hæ rationes etiam
pugnant pro modo conglutinationis, membranarum
ceterarum intestini suscipientis, & a tergo secuti, separa-
tione scilicet illarum, vi gangrænæ & sphaceli pro-
ducta.

§. XIX.

Quia vero hac conglutinatione fibrarum succe-
danea membranarum intestini suscipientis, & a tergo
secuti, fistulæ semper intestinali sua servata est conti-
nuitas; mala illa, quæ alias ex vulneratis intestinis in
vulneratum redundant, ægrotum nostrum non ad-
adfixe-

112 Cap. IV., Tradens Rationes, pro Intestino excreto facientes;

fixerunt; sed functiones, intestinis quæ competunt, (Cap. III. §. 25.) semper fuerunt peractæ, ideoque fortuna ægroti benigna voluit, ut hæc partis intestini excretio, ipsi sine vitæ evenerit jactura.

§. XX.

Erat equidem mihi constitutum, in peculiari capite, rationes illorum, qui verum ac genuinum intestinum excretum fuisse, negarunt, & qui addicti sunt opinioni, quod, etiamsi verum fuisse intestinum, necessario mors ægroti fuisse hanc excretionem infecitura; e re ipsa refellere pariter atque evertere: Verum quia hæc omnia in antecedentibus jam satis sunt discussa, hoc labore non sum denuo defuncturus.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO,
ANDREAE WESTPHALO,
CANDIDATO MEDICINÆ DIGNISSIMO

S. P. D.

JO. HENR. SCHULZE.

Quum TE ob plures omnino causas plurimum dilexerim, non possum, quia
abitum propediem in patriam suscepturum faultis omnibus prosequar.
Ut enim advenientem ad nostras musas eximio favore exciperem, effecit il-
le affectus, quo amplissimi parentis TUI in rem litterariam luculentia me-
rita dudum veneror, cuiusque humanitatem singularēm postea expertus
sum, quum de aliquibus rebus, ad glorioſissimæ recordationis principem
PHILIPPUM II. pertinētibus, feſcitur. Non enim ſolum benevolē de
omnibus ad me reſcripſit, verum etiam aliqua heic non obvia transmisit
ſcripta, ex quibus abunde haurire poteram. Ejusdem benevolentia accepi
num Arabicum prætantissimum, anno hegiræ CCVIII, qui cum æra
noſtra DCCCXXIII. conuenit, ſub Chalifa Almamone cuſum, & ita omni-
bus partibus integrum, ut planissime legi poffit: quod quam rārum sit, me
docuerunt alii huius generis numi, quorum euāndæ & temporis diurnitata
te fere detritæ litteræ plurimam legere & extricari copienti difficultatem
objiciunt.

Enimuero non parentis ſolum cauſa TE dilexi & obſeruavi: Verum
ipſem TV effecisti modeſtia, honeſtate, adſidua diligentia, eaque, quam hiſ
virtutibus TIBI comparati eruditio & conſuerudini iucunditate, ut plane TE
amarem. Non poſsum itaque, quin diſcedentem Votis optimis proſequar, illos
que honores, quos in regia patria TVAE academiam accepturum TE, propediem
ſentio, gratuler. Faxit DEUS, ut patriam ſalvus & in columnis contingas, pluri-
moque TVORUM gaudio, Twoque emolumento fructus colligas diuturni stu-
di, quod optimis litteris ac medicina, tam in patria, quam Berolini & apud nos,
impeditiſſi. Me TUARUM rerum optabilis ſuccēſſu ſemper magnopere gauiſ-
rum, & quoconque potero modo libenter TIBI inservituru, ſancte policeor
& recipio. Vale. Hale Magdeburgice, die XVII. Septembris clo cc xxxx,

Candidato Dignissimo, Amico Carissimo,

D. S. P.

P. AHLWARDT.

Omnium inter adplanſus & adpreſcationes me uelle tacere, & amicitia pro-
hibet & religio veta. Nec deest ſufficiens laudis ratio, nec ſpes de
Te optimâ ſuo deſtituitur fondamento. Gryphia noſtra erudita non poſteſt
non Tuam diligentiā aſdiuouſque labores, quos antehac cognitioni Philo-
ſophicæ & Medicæ impendere placuit, ſummi extollere laudibus & euehore,

R

Berelia.

Berolinum, & præsertim Illustre Theatrum Anatomicum, indubitatum de
Tuo ardore Tuaque dexteritate partes corporis H. detegendi, separandi in-
cognitas inueniendi, easque in diuturniore usum præparandi, perhibet te
simoninm. Quid dicam de Celebrissimis Academiae Halensis Doctoribus?
Ne quidem dubitant Viri acutissimi de Tua Eruditione, sed probant eam
semperque comprobant. Medicorum Filii hac in Musarum sede fruun-
tur iam & quidem maxima cum voluptate doctis institutionibus, industriae
Tuae fructu & testimonio certissimo; nec minus ægroti Tuam sibi expo-
scunt & promittunt manum medicatricem & re uera sentiunt. En; Amice
Certissime, genuina honoris fundamenta! Quid itaque mirum, cum Gratio-
sa Facultas Medica summos Tibi Medica in arte confert honores, quos
diu satis es promeritus. Gratulor potius Tibi de Honoribus Doctoralibus
hodie adipiscendis; Gratulor Patri Venerabilis, Praeceptor & Patrono meo
colendo, de filio non tantum morigeri, sed & doctissimo. Gratulor Prae-
ceptoribus de discipulo eruditissimo. Gratulor patria de Medico maxime
rationali, sine dubio felicissimo. Gratulor omnium maxime & mihi de Ami-
eo non tantum sincero, sed & ornatisimo. Vale mi Amice, & Fau.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. P.

M. LUDOVICUS AUGUSTUS WURFFEL.

Si qua unquam letissima occasio ad ciendos, aliorum faultissimis pre-
cationibus iungendos me inuitauit plausus, ea certe est, quam hodiernae
diei mihi suppeditat solemnitas. Ea enim omnibus aliis anteponenda est
multum, quod TUI potissimum gratia instituatur, adornerurque sola, cu-
iisque suaviorem representationem habui numquam. Sed ne falsa narrare
phantasmata videar, breuibus dictorum reddenda erit ratio. His autem
tantum, qui nullam plane, (quod nemo) aut non satis distinctam (quod pauci)
amicitiae nostræ apud vos habuere cognitionem, effictum hoc pote-
rit videri. Nam inter omnes constitisse putarem, nos, quem adhuc intra
suauissimæ Gryphice sinum gauderemus, unum animum, unamque voluntatem
suauissimo amore uinculo colligatam gesisse. Tantum enim, ut uerum fa-
tear, ad culmen amicitia nostra erat enī. Sed, quea cooperar, creuerat &
augmenta insignia sumiserat in patria, haud quod eidem vix deesse videba-
tur in illustri Fridericiano (cuius nomen semper mihi erit faustum) acce-
pit complementum. Recordaberis, Vir Clarissime, quanta fuerit, utrum dies
decesserit, que non uiderit purissimo amore iunctos? que non de rebus
non ludicris, sed utilissimis differentes non sistere potuerit? Et tanta TUAE,
procul sit omne adulandi studium in Ili: illa Salana fuit assiduitas, ut aliis
in exemplum TE allegare non dubitarint viri in erudito orbe principes,
qui & eruditionis & diligentiae TUAE æterni exabant testes, qui plus sim-
plici vice in TE laudarunt, quod Gryphice TUAE jam præsens exponis.
Igitur,

Igitur, ut & hæc TUIS laboribus præmium statutum iustum, en, quam TIBI
decreuerit lauream. Cui spectaculo utinam præsens esse possem spectator.
Sed, quum id prohibsat insignis locorum intercapedo, his adsum, votis
pro salute TUA concebris, festivitatem hodiernam celebraturus. DEUS.
T. O M. faustos istos honores, felices, fortunatosque TIBI esse iubeat, sint
TIBI æterno decori, ægrotis solatio & Magnifici Dn. Parenti TUO, Pa-
tronu submissæ colendo, perenni gaudio. Ita laus TUA in tantum accrescat,
in quantum crescere unquam poterit, & Ego noua quotidie TIBI adplau-
dendi habebo argumenta. Quod restat, V. C. non minimum est scilicet id
ante precibus meis imperandum erat, quam e scena TE dimitterem, ut
eundem fauorem, amicitiam æqualem, amoremque non minorem, quam ha-
stenus quidem complevisti, amico TUO, absenti serues; Ita nec ego, quam-
uis indies magis magisque a TE distare iubant fata, animum diu TIBI
proprium, sacratumqne ad me reuocabo, sed quamdui uiuam, TIBI me
prospicebor deditissimum. Dabam e museo Hannoveræ septimo Calend.
Octobr. Anni M DCC XXXXI.

PRÆNOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DN. DOCTORANDO,

A N D R E A E W E S T P H A L I O,

AMICO ÆSTUMATISSIMO,

S. D.

ANDR. CHRIST. ODEBRECHT

Reg. Dicast. Advoc.

Saluti externæ operam navare, ratio civilis cuicunque imperat, nexusque
civium constitutus injungit. Litteræ complexum monstrantes, nexæ
copulatæque inter se provenientes, compaginem reip. probe constructæ su-
stinent non modo, verum etiam amplificant. Jurisprudentia pariter ac
Medicinæ copulatio, multos deriuuit, diutiusque occupavit. Disciplina al-
tera iuste, altera jucunde beneque vivere, docet. Ut ræque reddant cives
modo sensu diverso, sanos. In harum applicatione pars debita, quorum
eminet prudenter adhibenda, occurunt. Quod medicamenta morbis, hoc
jus præstare negotiis, Justinianus (*) ipse effert. JCtum, in omnibus suis
negotiis, modo cavendo, consiliando, modo agendo, & reliqua, in usum
deducendis, rotum genus cautionis adhibere, Lex non solum juber, sed ra-
tio dicit. Agentem JCtum si intueamur, causam Clientis in foro dicit.
Factum, jus & obligationem, ut correlative, quomodo sibi invicem respon-
deant, attento animo volvit. Suum cuique tribuere studet. Media, primum
mihi, dein severiora ab ipsis LL. data, ad scopem sibi præfixum obtinen-
dum, i. e. ut damnum reparat ledens, non mediocri diligentia, circumstan-
tiis probe perspectis, eligere, officii rationes efflagitant. Item simul in-
struit, causamque defendit. Eadem vero in causa, eandemque victoriam

(*) Novell. CXI.

ob circumstantias varias interjectas, & processum inchoatum, ut rem dubii eventus, (**) promittere non licet. Reprimendus interim, planeque remittendus non est ardor causa patroni semel interceptus, ne in posterum, si causa cadat, cautius mercari discaet, nec, si ita esset actum, item adversarium perditum, intelligat. Respondere etenim ad ea, quae juris sunt, damnumque per culpam datum resarcire tenetur. Pari passu prudentia periti scientisque Medici, morbum ejusque causas inquirentis, ambulare mihi videtur. Aetatem, tempus, regionem, respicit; miriora, dein vehementiora artis praecpta adhibet. Varia quoque aegrotantis Symptomat, non unica medicina omnes morbos sanare, jubent. Antonius Musa, restituens Augustum, eadem curatione extinxit Marcellum (***)¹. Medicus itaque summa animi ac consilii maturitate medicinam adferens, non modo in officio suo non claudicat, sed munera sua partes implet, laudem famamque amplissimam sibi colligit. Etsi spe sanitatis recuperanda fere excus, ejusque minima scintilla se modo ostendens, non solum diligentissime accendenda, sed attendentem semper ad cavendum Medicus habeat animum, ne quid commitat, quod ab aegrota salute, suique honore sit alienum. His peractis, recte cum Ovidio canit:

Non est in Medico, semper relevetur ut ager;
Interdum docta plus vales arte malum.

Ex adverso, Medico quidem eventus mortalitatis imputari non debet, id quod per imperitiam vero commisit, eidem a Lege (*) tribuitur. Non dubium, Experiensime DN, DOCTORANDE, amice stravissime, quoque melior ne voto quidem singi potest, quin ea prudentia, studio ac felicitate, adjuvante DEO, morbos sis repulsurus, qua Musa perquam obsequentes atque benevolos habuisti. Iam diu aditum ad honores, in Medicina supremos, ob diligentiam indefessam, TIBI parasti. Advenit ille dies, qua alacris omnium se se jactat atque effert pietas; ne vero in gaudio explendo sim ultimus, Honores TIBI in Medicina quamprimum conferendos & adipiscundos summos, jam diu promeritos; nil minus PARENTI TUO, (quem iridem, ob beneficia collata immortalia, Parentis instar pia mente veneror) fama illustri, de ornamento GENTIS WESTPHALIANÆ, auctoritatis splendore amplissimæ, gratulor. DEUS, fons benignitatis inexhaustus, omnes benedictionis opes in TUA consilia effundat largissime, copiosissime. Ceterum, ut vestigia antiqui officii penes TE remaneant, TIBIQUE me habeas commendatisimum, cupio ac expecto. Dabam Grypheswaldiae, die XXX. Novembr. M DCCXL.

(**) L. 51. ff. de pecul. (***) v. Dio. Cass. L. 53. ((*)) L. 6. §. 7 ff.
de offic. Praefid. L. 8. ff. ad L. Aquil.

* *

200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

42

DUCE ET AUSPICE
SUMMO NATURÆ GUBERNATORE,
AUCTORITATE ET CONSENSU
MAGNIFICI ET GRATIOSI ORDINIS ASCLEPIADEI
IN ACADEMIA GRYPHICA,

PARTEM INTESTINI JEJUNI,
PER GUTTUR INFERIUS EXCRETAM,
SALVA MANENTE ÆGRI VITA,

P R A E S I D E
VIRO MAGNIFICO ATQUE EXPERIENTISSIMO,
D O M I N O

JOHANNE LEMBKENIO,

MED. DOCT. ET PROF. ORD., ACAD. ET FACULT. SENIORE,
CIVITATIS PHYSICO, ET H. T. DECAÑO SPECTATISSIMO,
FAUTORE ET P R A E C E P T O R E , MAXIMOPERE DEVENERANDO,

P R O

Summis in Arte Medica Honoribus,

& Privilegiis Doctoralibus,

RITE OBTINENDIS,

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

E X H I B E T

ANDREAS WESTPHAL,

G R Y P H I S W A L D .

ANNO MDCCXL. DIE XIX. DECEMBR.

G R Y P H I S W A L D I A E E X O F F I C I N A S T R U K I A N A .